

1 CONTRA OBTRACTATORES CONSOLATUR LIBRUM SUUM

v.1 Vade, manus multas subiturus et atria multa,  
2 vade, liber trepidus, discidium metuens,  
3 vade meus sine me, carmen sine nomine, vade,  
4 causa, principio, consule, fine carens.  
5 Sique tuum nomen vult fratrum sollicitudo,  
6 "Nomen quod petitis", dic sibi, "non habeo."  
7 Si tamen et dignum vigilantia vestra coaptet,  
8 annuo, non renuo, dicite quod deceat.  
9 Dicite qui deceat et vos et Burgulianum  
10 vestro perpetuum filiolo titulum".  
11 Cur sis collectus, non est occasio multa :  
12 implevit pellem scriptor hebes sterilem.  
13 Incipis in multis, in multis desinis atque  
14 in multis pendes nec loca certa tenes :  
15 tantumdem valeas, si quis praeposterat odas ;  
16 est locus incertus quo magis incipias.  
17 Pagina furtiva, quo consule tutior ibis ?  
18 Immo iudicium consulis ipsa time.  
19 Donec ego vivo, clauderis limite nullo ;  
20 "explicit" apponet mors mea, nil aliud.  
21 Urbana non es verborum commoditate  
22 accinctus neque te Tullius associat.  
23 At bene dictandi non defuit ampla voluntas,  
24 cum cuperem musam Virgilii esse meam ;  
25 sed non afflavit cupienti dextra facultas  
26 nec patres illud promeruerunt mei.  
27 Ecce misella volas, a multis dilanianda,  
28 sive per errorem, sive per invidiam.  
29 Carta, tibi multum mea musa jocosa nocebit,  
30 Musa jocosa licet nil mihi contulerit.  
31 Frons hirsuta jocos tibi nostros improperabit,  
32 frons hirsuta licet saepe jocos faciat.  
33 Crede mihi numquam nocuerunt verba jocosa,  
34 me semper munit pectoris integritas.  
35 Grande supercilium, nigrum magnumque cucullum  
36 hostes ferales primitus invenies.  
37 Tu quoque, dic ipsis : " Medici, curate prius vos,  
38 palletis, ranae funditus assimiles".  
39 Codex idcirco securior egrediaris,

40           quod fecant dominum morbida nulla tuum.  
41       Qui leviter dicunt me suspicione notabunt,  
42           sed neque radicem suspicionis habent.  
43       Ut ros in Phoebo, tepido nix sicut in Austro,  
44           ut palea in clibano, fumus ut absque foco,  
45       ut subitus turbo, sicut de fulgure fulgor,  
46           sic transit subito re sine suspicio.  
47       Me quemcumque notent, in me quicumque susurrent,  
48           non commendat eos amplior integritas.  
49       Vellus eos mentitur ovem, lupus obstrepit intus ;  
50           nequiter intus agunt, at Curios simulant.  
51       Quod si verborum damnaris pro levitate  
52           incutiturque tibi poena, sed immerito,  
53       te consoletur quia poenam non meruisti  
54           et sine iudicio iudicium pateris.  
55       Si tibi dicetur : "Cur nugis ergo vacabat ?",  
56           Dices : "Nolebat vivere tempus iners" ;  
57       "Scriveret aut legeret divina volumina", dicent ;  
58           Tu : "Scripsit, legit, fecit utrumque diu,  
59       incubuit metrica magno conamine Moysi,  
60           vitas sanctorum lucidius cecinit,  
61       sermone fecit multos sermone pedestri.  
62           Haec ut vitaret otia composuit,  
63       sed neque conventus haec propter opuscula fugit ;  
64           taliter dictabat noctibus aut equitans.  
65       Non rapiebatur tunc sursum spiritus ejus,  
66           saepe revisit humum relligiosus homo ;  
67       effundebatur supplex oratio mane ;  
68           inde trahebatur ad fora sollicitus".  
69       Debemus (...lacune...), debemus et octo  
70           curant de rebus pontifices propriis  
71       et de privatis reges aliquando loquuntur.  
72           Saepeque de vili sollicitantur equo ;  
73       nunc venantur apros, nunc cervis retia tendunt  
74           et revocat dominos saepe culina suos ;  
75       et redit ad mensam post causam rex generalem,  
76           audit cantores sive jocis inhiat.  
77       Inter pontifices minor est de codice sermo ;  
78           littera seu rara nulla fatigat eos.  
79       Propterea sic est quia pars ignorat et alget,  
80           pars intenta lucris jura fori sequitur.  
81       Ex oculo fratris festucam abducere querunt,  
82           in proprio vero deseruere trabem.  
83       Ne reprehendatur, reprehendit vel reprehendi  
84           nos aliquis patitur, dignior ipse cruce.  
85       Sed tu, vade, liber terroreque liber ab isto ;  
86           si sit opus, pro me martyrium patere.  
87       Olim tempus erit, cum per me tutior ibis,  
88           cum mihi liber ero, cum tibi credidero.  
89       Abbatis nomen onus est, onus et labor, et me  
90           non sinit alterius immo nec esse meum ;  
91       esse mihi vellem meus atque suus sociorum,  
92           ut mea cui vellem tempora dividerem.  
93       Ad praesens ideo, codex, securior ito,  
94           quod bona res, bona spes se tibi consociant.  
95       Praecepti fieri capitales aere figuras,

96 ut quod non sensus, res tribuat pretium -  
97 Ad nos miserunt Arabes huc forsitan aurum,  
98 materiaram quo signa priora micant.  
99 Introitus alios minio viridive colore,  
100 ut mirabilius omne nitescat opus,  
101 ut quos allicere sententia plena nequibit,  
102 hos saltem species codicis alliciat.  
103 Haec igitur lucet, haec vero littera ridet,  
104 sed non arrident dicta decora tibi.  
105 Elegi puerum scribentis in arte peritum,  
106 qui sic disposuit, nomine Gualterium,  
107 qui geniale solum, vagus ut tu, dicere nescit ;  
108 sed decuit profugus scriberet ut profugum.  
109 Gerardum quemdam natu proavo Turonensem  
110 commoda sors Arabem contulit aurificem.  
111 Burgulius prudens hunc educat ingeniosum  
112 et iuvat aestivis Cambio temporibus,  
113 Cambio post modicum qui, subterraneus amnis,  
114 postquam Burgulium prataque praeteriit,  
115 in Ligerim emergens redeat dubium est an abyssum  
116 inde reversurus irrequietus eat.  
117 Claudicat ut Jacob, quoniam pede claudicat uno  
118 scriptor, sed recto praevalet ingenio.  
119 Hunc quia callebat, quia Beseleel similabat,  
120 Gualterio sodes addidimus socium.  
121 Tu praesens aderas, haec omnia dum faciebant ;  
122 aut sic aut aliter ergo referre potes.  
123 Nunc igitur nostros ibis visurus amicos  
124 et dicturus eis quod sibi mando vale.  
125 Ipsi te relegent, ipsi te, credo, recondent,  
126 ne tibi fascinus aut livor edax noceat.  
127 Acceleres igitur ; citus ut redeas, citus ito ;  
128 cautus amicorum singula dicta refer.  
129 Ut resalutent nos, prior ipsos ipse saluta :  
130 taliter exposcit foedus amicitiae.

## 2 SOMNIUM ET EXPOSITIO SOMNII

v.1 Nox erat et noctem tractabam more diei,  
2 quam dabat insomnem mordax afflictio cordis  
3 exurensque meas curarum flamma medullas :  
4 nam gravior noctis quam sollicitudo diei est.  
5 At res, unde malus provenerat iste rotatus,  
6 anticipare mei capitis decus accelerabat.  
7 Idque die noctuque cavens mihi sollicitabar  
8 sollicitusque mihi conflictibus afficiebar,  
9 prorsus amicorum factus solaminis expes.  
10 Talis erat noctis talisque procella diei.  
11 Nulla fuit nox nocte minus gratantior illa,  
12 quae mici longa nimis fuerat quasi terminus anni,  
13 quam vere vellem sine mane sequente perennem :  
14 me, quia torquebar, taedebat noctis, et inde  
15 sol metuendus erat, quia iudicium metuebam

16 quod nox illa suumque mihi cras improperabat.  
17 Dilectosque meos casus conflaverat hostes,  
18 quorum lingua nimis crudelia tela vomebat.  
19 Hinc neutrum nollem non esse, diem neque noctem,  
20 si fieri posset sine tempore tempus ut esset :  
21 sponte forem tunc ipse mei radicitus expers.  
22 Spiritus ergo meus sic in me deficiebat ;  
23 porro, negata quies fessos corruperat artus.  
24 Lucifer interea signans rarescere noctem  
25 convocat exciti fulgentia limina Phoebi.  
26 Me timor invadit ac si prius haut timuissem,  
27 deficiunt vires, friget cruor, ossa tremiscunt  
28 nec poterat portare sui pes corporis arcem.  
29 Sternor humi tantumque "Deus" de voce sonabat,  
30 nam timidus valde praemortua corda gerebam.  
31 Deficio. Vitae flatum fugisse putares.  
32 Nescio : vel madidos somnus suffecit ocellos  
33 et mox certa quidem me somnia commonuerunt,  
34 aut equidem vidi quod me vidisse putavi.  
35 Mulam equitare meam memet de more videbam  
36 atque super magnum fluvium conscendere pontem.  
37 Miles frena tenens mihi dux mulaeque praeibat ;  
38 sessor ego mulae, scando discrimina pontis,  
39 De quo paenitui, si paenituisse juvaret.  
40 Pons bonus et fidus prima de parte videtur.  
41 Vado securus, securum dum licet ire.  
42 Ad medium pontis, pons ligneus ipse tremiscit.  
43 Ipse nec impavidus metuo me praecipitandum...  
44 Subsequiturque fides : in flumen corruo praeceps.  
45 Gurges erat vastus necnon cita gurgitis unda,  
46 tunc citior solito, sicut sentire dabatur :  
47 scire dabatur enim ripas exisse fluenta ;  
48 et latici color albus erat, qualem Ligerisve,  
49 heu male vicinos dum turgens enecat agros,  
50 vel qualem Nar albus habet sibi sulphure mixto.  
51 Protrahor in praeceps, alto submergor hiatu,  
52 surgens enitor rapidis innare procellis,  
53 non tantum metuens quantum vigilans metuebam :  
54 tunc minus in terra quam nunc in flumine tutus,  
55 ad ripam venio neque ripam prendere possum.  
56 Saxa tamen prendo, de saxis eveho saxum,  
57 quod teneo manibus divellens absque labore.  
58 Admiror lapidem ; lapidi studiosus inhaerens,  
59 admiror formam - mirari quippe licebat :  
60 otia miranti fuerant haec atque natanti.  
61 At lapis antiqua celatus gnaviter arte  
62 visus erat vivi speciem praeferre leonis.  
63 Ut petra visa satis, portu tamen ipse carebam.  
64 Protinus absque metu conitor et absque labore,  
65 flumen item tranans, aliam contingere ripam.  
66 Inveniebatur pro ripa mons scopulosus,  
67 verbere continuo quem flumina rauca secabant.  
68 Et multos secuit scopulos collisio crebra,  
69 motu fluctivago qui devecti super undas,  
70 sicut Symplegae, super aequora magna rotabant.  
71 Litus inaccessum scopuli fecere vagantes

72 et mihi non multum tamen incussere timorem ;  
73 nam strepitu blando circum scopuli fluitantes  
74 lambebantque caput, tamen et nihil officiebant.  
75 Mons autem reliquus porrectus in aera magnum  
76 in conum pendens minitatur adusque ruinam.  
77 Effugio rursus scopulosum litus et undas  
78 nando citus supero, prius ad litus redeundo.  
79 Fluctibus in mediis, aqua quo properantior ibat,  
80 eminus aspiciens de marmore cerno columnam,  
81 sive hominis cura, fortuna sive locatam.  
82 Quaelibet ars tamen hanc quadros lateravit in octo,  
83 quam caperent hominis complexus unus et alter  
84 aequaretque hominum staturas longa duorum.  
85 Ipsa mensura longam grossamque putares ;  
86 abdita gurgitibus pars, experientia visus  
87 quam non metitur, a carmine semoveatur.  
88 Ipsa superficies, aliquod non sculptile gestans,  
89 plana videbatur ; decus addunt planitiei  
90 octo politurae, quadri quas octo notabant.  
91 Inque modum sphaerae finitur summa columnae,  
92 marmore de Pario ducens genus atque colorem.  
93 Secernens alias natura a litore litus  
94 hunc circa lapidem prope litora contiguavit  
95 et cumulo fluvii fauces objecerat artas.  
96 Dum cupiunt aditum, furor hic fremebundus aquarum  
97 hic strepitus magnus, clamor cum murmure multo.  
98 Praecipitabatur potius quam curreret unda,  
99 evadens fauces velocior alite quavis :  
100 segnius excedit balistas ales arundo.  
101 Fauces in medias subtusque parum, lapis ipse  
102 fixus erat, qua corruit impetuosior amnis ;  
103 sub pelago terrae firmis radicibus haerens,  
104 excipiebat aquas, multis immotus ab annis,  
105 haud, reor, ignarus famosae colluviei.  
106 Me, qua vis impegit aquae, fuit ire necesse :  
107 declinare viam nequeo quam compulit unda ;  
108 elabor cursu quo labitur amnis eodem.  
109 Immo, quod adjutus manuumque pedumque repulso  
110 quantumcumque fui velocior amne cucurri,  
111 obliquare viam, qua substitit ipsa columna,  
112 et potui et volui ; sed velle audacia vertit.  
113 Evehor in lapidem praeceps humeroque sinistro  
114 fortiter impactum multa virtute subegi.  
115 It lapis in pelagus ; loca marmoris occupat amnis.  
116 Deflectens ego retro caput, sic laetus agebam :  
117 "Haec saltim nullos posthac obstacula laedent."  
118 Nam multi objecti perierunt obice saxi  
119 naufragiique fuit nautis lacrimabile signum.  
120 Enato sospes ego, portu fruor evigiloque.  
121 Quae me confortans memet mihi visio reddit.  
122 Anxietate quidem sic vado liber ab omni,  
123 liber ut evasi terrore a fluminis omni.  
124 Ut scopuli indemnes circum caput osque fremebant,  
125 sic furor indemnus fremebundae est garrulitatis ;  
126 sublimesque minas cervicososque tumultus  
127 tanta prostravi quanta levitate columnam.

128 Haec divina tamen clementia cuncta patravit :  
129 quippe quod evasi meritis non deputo nostris ;  
130 divinus mos est, ut in ira prospicietur.  
131 At Deus iste meus per saecula sit benedictus,  
132 qui, dum castigat, castigati miseretur.

3 AD IUUENEM NIMIS ELATUM

v.1 Cum mihi nil placeat nisi quod bene sit placiturum  
2 nec mihi displiceat nisi quod sit displiciturum -  
3 cujus testis erit, si testem quaeris, Alexis  
4 constat quod quicquid placet aut mihi displicet in te  
5 jure quidem placeat de te mihi displiceatque.  
6 Quod si quid placeat quaeratur displiceatque,  
7 forma placet, quia forma decet, quia forma venusta est  
8 mala tenella placet, flavum caput osque modestum.  
9 Vox tua demulcet nostras et mitigat aures,  
10 quae tam dulce sonat quam dulce sonat Philomela ;  
11 incertum an pueri sit vox tua sive puellae ;  
12 Orpheus alter eris, nisi vocem sauciet aetas,  
13 aetas a pueris quae dat differre puellas,  
14 cum gena vestitur juvenum lanugine primas.  
15 Et pandae nares faciem speciemque venustant ;  
16 cor pectusque meum tua vitrea lumina tangunt :  
17 sidus enim geminum cristallina lumina credo.  
18 His bene respondet caro lactea, pectus eburnum ;  
19 alludit manibus niveo de corpore tactus.  
20 Haec sunt quae debent aliisque mihi placere,  
21 praesertim cum te nec agat lasciva juvenus  
22 nec reprobet divam membrorum composituram.  
23 Haec mihi cuncta placent, haec et mihi singula mando ;  
24 laudo Jovis quoniam Ganymedes esse refutas  
25 et precor et laudo ne corrumparis amando.  
26 Sed non laudo tuam de moribus improbitatem,  
27 quippe supercilio, puer improbus, utere tanto  
28 ut vix obliquo quemquam digneris ocello,  
29 vix aliquando aliquem summotenus ore salutes,  
30 dum tamen et salve tibi primus dixerit ipse.  
31 Forsitan ipse putas quia regnes solus in orbe  
32 atque putas quia sis puero praestantior omni ;  
33 sed te Narcissus reprimat qui fabula vivit  
34 exemplumque manet elatis ut resipiscant.  
35 Non tua totius est excellentia mundi  
36 sed neque tu toto regnabis solus in orbe.  
37 Multa ligustra parit tellus et lilia multa  
38 et violas multas et flores edit amoenos.  
39 Nec solus castus, nec solus es ipse decorus ;  
40 sunt multi quos par aut major gratia formet  
41 et quos frigiditas commendet eburnea nobis.  
42 Castus es, et multos fecerunt frigora castos ;  
43 Pulcher es, et pulchros plures natura creavit.  
44 Non de naturae tibi sit jactantia dono :  
45 quod natura facit tibi non est attribuendum ;  
46 concedet multis tibi quod concessit ad horam

47 et natura facit ut asello praestet asellus.  
48 Taurina cervice tumes vadisque supinus :  
49 hoc est quod culpo, quod solum criminor in te ;  
50 dedecet hoc in te, de te mihi displicet istud.  
51 Ipse tuos fastus, sed et intractabile pectus,  
52 odi, cor durum, morum simul improbitatem,  
53 odi pomposos, odi juvenes silicinos.  
54 Arbor lenta placet, odi non flexile robur ;  
55 diligo vultum humilem, collum non flexile damno.  
56 Si vis ergo mici, si vis, puer, ipse placere,  
57 pelle cotumosos et fastus rejice tantos,  
58 ridenti arride, responde digna loquenti,  
59 flectere disce caput et lumina flectere disce ;  
60 ipse tuis moderare oculis et disce videre,  
61 non utaris, homo, tumidi cervice juveni :  
62 respiciat taurus, sed non homo, lumine torvo.  
63 Flexilis esto, puer, cervix taurina rigescat ;  
64 tu qui vivis homo non vivas more ferino.  
65 Confidis credisque tuae nimium speciei ;  
66 crede mihi, speciem tibi labilis auferet aetas.  
67 Instat enim camis quia corruptela peribit,  
68 cum decus atque decor, flos carneus, unde tumescis,  
69 illico marcescet, cum fies ipsemet alter,  
70 cum rugosa cutis, caro vero tabida fiet,  
71 cum te tussis aget, fluidus cum pulmo liquescet,  
72 cum tabes jecoris bella intestina ciebit.  
73 Quod natura dedit, eadem tibi tollet idipsum.  
74 Non ergo posthac tanta feritate superbi  
75 nec, periture puer, formae pro munere saevi.  
76 Si tibi vis ut agam, da nostris versibus aurem.  
77 En dixi quicquid mihi displicet aut placet in te.  
78 Censeat en lector an sit mea justa querela ;  
79 justa querela quidem, vere querimonia justa.  
80 Tuque satisfacies si te correxeris ipse.

4

AUITO PRO ALEXANDRO

v.1 Nomen Alexandri tibi sic et forma cohaesit,  
2 sicut carni unguis, sicut hirudo cuti.  
3 Nomen Alexandri tantum tibi crescit in horas  
4 quantum boletus sub pluvio tonitru.  
5 Nomen Alexandri sic tecum perpetuatur  
6 ut queat esse tuae plurima pars animae,  
7 nomen Alexandri si quis tibi stillet in aurem,  
8 rides, exsultas, intrepidus trepidas.  
9 Si placare tuam conetur quislibet iram,  
10 dicat : "Alexander", mox sedet ira tibi.  
11 Totus ab incepto subito revocabere toto,  
12 si quis Alexandri te faciat memorem.  
13 Nulla tamen merces, mors nulla, pecunia nulla  
14 reddere te poterunt ipsius immemorem.  
15 Ergo, si potero, supplex huic gratificabor :  
16 ut tibi gratificer, gratificus sim ei.  
17 Sunt et Alexandri duo, de quibus est mihi sermo :

18 junior esse suum nunc habet, alter abit.  
19 Si quis Alexandrum de quo fit mentio quaerat,  
20 junior hac nostra ponitur in satira.  
21 Alterius malas praedurat tempus et aetas  
22 et puerum tollit altera barba sibi.  
23 Tu quoque, cui proprie legatur epistola nostra,  
24 derivativum nomen habes ab avo

5 AUITO DIUITI

v.1 Dives es et dives quantum potes esse laboras.  
2 Intentus lucris denariis inhias.  
3 Immemor aetatis necnon et nobilitatis,  
4 denarii formam jam vehementer amas.  
5 Quippe juventutis non est vel nobilitatis  
6 ut vivat frugi quilibet e pueris.  
7 Prodigus ut vivas tibi convenientius esset  
8 quam des usurae tempora pestiferae.  
9 Ecce tibi fulva distenditur arca moneta,  
10 jam cumulata gemit, jam tumet alvus ei ;  
11 audio ferratae gemebunda crepundia cistae :  
12 saltim praegnanti praecipe parturiant ;  
13 jam dissolventur prae pondere flebile lignum,  
14 ilia marcidule ni vacues fabricae.  
15 Noli opibus Croesi quas conficis aequiperari ;  
16 quemlibet Hugonem Raheriumve time :  
17 vivat Amalricus nimium qui congregat aurum,  
18 nummatis montes qui sibi pauper habet -  
19 huic aut Raherius vel quilibet obviet Hugo  
20 et quod Amalricus nunc tolerat toleret.  
21 Si sapit, has habuisse gazas modo paenitet ipsum,  
22 pro quibus afficitur mille miser crucibus.  
23 Esuries peperit quas dicebatur habere ;  
24 ut vomat intactas, esurit ecce iterum.  
25 Tu quoque, gazarum qui servulus esse laboras,  
26 ne cumulare velis perdere quas metuas.  
27 Stercora stercorebus cunctis superadde diebus,  
28 si nummos nummis amplius addideris.  
29 Quodsi dives eges, te tota sequatur egestas,  
30 ad mensam esurias, in Ligeri sitias,  
31 se quaecumque tibi res in contraria vertat -  
32 sed contrarietas duret in hoc quod erit.  
33 Et si vis cautus vitare quod inprecor omne,  
34 esse coactarum negligere servus opum.  
35 Sint tibi divitiae ; non servus divitiarum,  
36 dapsilis esto tuis - attamen adde modum.  
37 Quod servire tibi moderatos possit in usos,  
38 abjecto nimio, scilicet illud habe.

6 CUIDAM GUAUTERIO

v.1 Uniat absentes nos mutua littera semper :



2 me quoque praesentet nunc mea charta tibi ;  
3 nunc mea charta tibi dicat replicetque valet  
4 utque magis placeat, illud idem triplicet.  
5 Carmina, Gauteri, nuper mellita recepi,  
6 te scribente, tuam quae tetigere manum.  
7 Carmina suscepi quo debebatur honore,  
8 mox quoque collegi te sub amore meo.  
9 Ecce revisunt te gaudenter carmina nostra,  
10 et precor ut foveas me sub amore tuo.  
11 Sique voles mecum stationem continuare,  
12 cor pectusque meum dimidiabo tibi ;  
13 dimidiabo tibi quod erit mihi dimidiandum ;  
14 dimidiabo meam, si jubeas, animam.  
15 Tuque locandus eris nostro sub pectore totus  
16 proficiesque meae maxima pars animae.  
17 Interea supplex felicia fata precabor,  
18 donec nos recreent mutua colloquia.  
19 Id consummaret, si nescis, altera vestis,  
20 et monachi nomen perpetuaret idem.  
21 Ut vero nostro diuturnus amore fruaris,  
22 alteret accessus altera vita tuos,  
23 sive dei commendet amor tibi religionem,  
24 sive timor poenae, vel simul ista duo.  
25 Quod si decernis ad nos accedere talis,  
26 mandavi nostris ut tibi sint comites.  
27 Si quoque me fama venturum significavit,  
28 in dubio res non esse vel esse potest.  
29 Nunc igitur propera : nocuit differre paratis,  
30 et cras anticipans, debita fac hodie.

7

PARIS HELENE

v.1 Quae vestrum nomen latum vulgavit in orbem,  
2 si qua fama meum vestram spiravit in aurem,  
3 quis sit Alexander Paris est res cognita vobis,  
4 formarum iudex, quem signat epistola praesens.  
5 Scribere quod scripsi deitas me multa coegit :  
6 ata Jovis, vates Phoebus Phrygiique Penates,  
7 immo coadjutrix Venus et praesaga futuri,  
8 quae dea votivis nequit esse jugalibus absens ;  
9 quippe Venus semper justos dispensat amores  
10 et nihil est Cypridem quod disparet atque Hymenaeum.  
11 Ex aditis igitur vel vox delata sub auras  
12 vel dii praesentes nec enim me fallere possunt :  
13 nam nec adhuc aliquem cortina fefellit eorum.  
14 Saepe quidem numero super hoc me commonuerunt :  
15 hi mihi dixerunt quia Teucro nubet Achiva,  
16 nubet Alexandro Trojano filia Leda,ae,  
17 quae deducta potens a gentis origine Graiae,  
18 femina praepollens a nobilitate Pelasga,  
19 transferet Argivas ad Trojam sola Mycenae  
20 et multis annis regno regnabitur uno :  
21 ultro continuus Tyrio miscebitur Argus.

22 Ergo, praemonitus diis vaticinantibus, ecce  
23 ipse tibi pando quod rettulit augur Apollo,  
24 quod tibi portendunt per me responsa deorum  
25 et tibi, ni fallor, mens jam divinat id ipsum.  
26 Digna quidem res est, ut dii tibi vaticinentur,  
27 et decet, ut tecum praesagia diva loquantur.  
28 Ergo, fave fati neque fata morando retardes :  
29 ad majora vocant quam sedulo fata reposcunt,  
30 quam superi vocitant, quam Delius augurat ipse,  
31 quam Cytherea rogat, quam sidera cuncta loquuntur.  
32 Ergo, deos omnes metuas offendere sola :  
33 offenduntur enim, si quis dilator oboedit.  
34 Si fortasse situ diuturno constitit, ipsa  
35 tu tardare potes, sed non avertere fata.  
36 Parcendo tolerant dii prolongantque futura ;  
37 nam neque differtur ipsorum impune voluntas,  
38 sed cumulat poenas tolerantia longa deorum.  
39 Ergo, velis potius fatisque deisque favere  
40 quam prius iratos vix tandem pacificare.  
41 Ad te si pro me supplex orator adessem,  
42 ipse perorandi genus altius alter adissem  
43 atque meis alios intermiscere colores  
44 curarem scriptis, ut possent scripta placere,  
45 quatenus insertus color affectare valeret  
46 alliceretque mihi te carminis ordo saporus.  
47 Addere carminibus quaedam munuscula nossem,  
48 corda puellarum quibus attemptare solemus.  
49 Non modo res rogat haec, modo non sunt ista necesse :  
50 vix aliquid pro me, potius loquor omnia pro te ;  
51 ipse revelo tibi quid provida numina mandant.  
52 Ha ! timeo ne lenta deos et sera molestes.  
53 Gaudeo quod merui super hoc diis gratificari,  
54 quippe revelavi quod mandant ore fideli.  
55 Nil mihi plus ad te, nisi diis te mando favere.  
56 Si vero tibi vis repeti mandata deorum,  
57 aut quia fortassis nondum bene verba notasti,  
58 aut quia vis aliter breviusque videre quod instat,  
59 credita verba mihi rescribere non pigritabor  
60 [LACUNE]  
61 Nam neque legato pudor est, ut verba notentur,  
62 denuo metiri mandata jubentis ad unguem.  
63 Dii tibi significant ut, mox spreto Menelao  
64 et quas imbellis frater veneratur Athenis,  
65 Troica regna regas : Asiae dominaberis omni,  
66 quae caput est Asiae, si Trojae vis dominari.  
67 Ergo, veni Trojam, Trojae dominare roganti ;  
68 nam genti nostrae sunt haec oracula nota :  
69 ex Graecis Helenam pensant abducere fata  
70 abductamque volunt muris inducere Trojae  
71 inductamque parant Asiae praeponere toti.  
72 Estque diu Priami quod vox haec perculit aures ;  
73 patris letatur super hoc matura senectus,  
74 congaudens Hecuba pridem mihi sollicitatur,  
75 patres, matronae suspensio pectore dicunt :  
76 "Quid regina diu quam fata dedere moratur ?  
77 Aut haec nostrorum nescit responsa deorum,

78 aut timet aequoreas pectus muliebri procellas.  
79 Omnes ergo simul ventos placemus et auras  
80 cum libaminibus mites et plena precemur  
81 carbasa, quae Paridi reddant conubia nostro.  
82 Non etenim poterunt mentiri numina nostra,  
83 sed neque fatorum presagia vana putemus."  
84 Taliter Iliadum votis precibusque vocaris.  
85 Ipsa deos timeas, si publica vota moraris ;  
86 sique diu spernis pia numina, saeva mereris.  
87 Augure fibriloquo tua Graecia semper abundat :  
88 consule, nec pigeat te consultare peritos  
89 quid sit, ne deitas tibi constringatur, agendum.  
90 Quodsi sermonem vis ex me consiliumque,  
91 do tibi consilium : diis incunctanter oboedi,  
92 huc ad nos venias, conubia Graeca refutes.  
93 Quodsi forte venis uxoriam femina nobis,  
94 toto Trojano dotabere femina regno.  
95 Nec tibi conubio grave sit succedere nostro :  
96 non mea nobilitas a nobilitate Pelasga  
97 discrepat aut umquam superat Lacedaemona Trojam.  
98 Si tibi sunt fratres Castor Polluxque gemelli  
99 Ledaque divina pro fertilitate superbit -  
100 nam sua progenies diis condita transit ad astra - ,  
101 et mea progenies diis adnumeranda nitescit,  
102 et mea diis atavis praepollens floret origo,  
103 et mihi sunt fratres : est armis inclytus Hector,  
104 alter cui parili nequeat probitate parari,  
105 sunt alii, sua quos sustollit in aethera virtus ;  
106 his Phoebi tripodas, datur his cognoscere fibras,  
107 his indagari stellas sedesque deorum.  
108 Sed quid eos memorem, nisi quod quicumque mei sunt  
109 sintque tui fratres simul et tibi subjiciantur ?  
110 Immo nec Argivam grave sit tibi linquere gentem.  
111 Cecropides imbelle genus, gens dedita fanis ;  
112 fabula nulla fuit, quam non tua Graecia finxit :  
113 hi juvenes madide docuere vacare palestrae,  
114 hi furibunda satis docuerunt orgia Bacchi ;  
115 et labyrinthum Graecus furor edidit antrum ;  
116 Icarus infidas, ut credunt, induit alas ;  
117 hi quoque, quid resonet vacuis in rupibus Echo,  
118 et docuere simul quanti sit adhuc Ganymedes :  
119 quod facinus, quoniam scripserunt in monumentum,  
120 attribuendo Jovi crimen quod Juppiter odit,  
121 illud in exemplum puerisque virisque dederunt  
122 virginibusque mares ex magna parte tulerunt.  
123 Quo solo facto, debes quaecumque puella  
124 hos odisse viros, et negligere nomen Achivum.  
125 Quid, quod virgineos homo Graecus gestat amictus ?  
126 Suppara magna gerunt et terram syrmate verrunt  
127 et crinalis acus revocat ducitque capillos ;  
128 imponunt capiti nocturno tempore mitras ;  
129 conjugibus parcunt, ut cum Ganymede laborent.  
130 Unguine virgineo refovent sua corpora Grai ;  
131 paene suis nuribus fas et jus deliciarum  
132 eripere mares propriumque sibi tenuerunt.  
133 Indigetes Grai, quod non sunt, esse laborant ;

134 forsitan et quidam vellent magis esse puellae :  
135 quodsi forte sibi pariendi competat usus,  
136 finibus a patriis conjunx arcebitur omnis.  
137 Grajugenae, steriles uteros orate virorum  
138 et de semiviris superos querimonia tangat.  
139 Has igitur terras, hanc funditus effuge gentem.  
140 Laetabunda tibi plaudet Neptunia Troja ;  
141 Pergama facta manu divinae prolis habebis ;  
142 Troja, flos Asiae, totum tibi suggeret orbem,  
143 si divum monitis, si sis quoque credula nobis.  
144 Non eris in culpa, si divum jussa sequaris,  
145 si dedigneris Danao fore concuba pellex,  
146 qui terit aetatem barbamque comamque colendo :  
147 nam neque conjugium dici haec conjunctio debet.  
148 Confracti maculant opprobria nulla pudoris,  
149 nulla superficies actus, infamia nulla,  
150 quam vis magna deum vel dat vel cuilibet aufert.  
151 Ipse pudor fastus tibi dissuadere jugales  
152 mentis et inculte pecualia foedera debet.  
153 O si Teucrorum praecelsa palatia cernas !  
154 O si sidereas venias genitoris in aulas !  
155 O si marmoreas videas sub tecta columnas  
156 sique struem thalami quandoque videbis eburnam,  
157 si quoque fulcra domus nitidis interlita gemmis  
158 Pergameosve Lares vel cujuscumque Penates !  
159 Pro modico Danaas poteris deducere pompas ;  
160 immo, casas humiles sua celsa palatia dices  
161 quodque putant aulas, magalia parva vocabis.  
162 Sic res Argolicae sunt nostris aequiperandae,  
163 quilibet ut nanus est aequiperandus Olympo,  
164 Milvus ut accipitri vel tamquam corvus olori.  
165 Praeter tantarum memoranda cacumina rerum,  
166 quandoquidem, Trojae de nobilitate superba  
167 fando, vix aliquam conitor stringere summam -  
168 cum nequeant nostris tot res lucescere verbis - ,  
169 Teucros heroas, molimina magna virorum,  
170 Graios dissimiles, ut Graios pumiliones,  
171 Trojanos autem moderatos esse gigantes  
172 laudando dicas ; horum regina, videbis  
173 caesarie flava, stellata fronte decoros,  
174 consilio claros, a diis magnis oriundos,  
175 pectore robustos, (lingua)que manuque potentes.  
176 Matronis, nuribus, uxoribus atque puellis  
177 integritas aevi formaeque decencia tanta est  
178 ut decor aetatem deceat aetasque decorem.  
179 Munere divinae decorantur compositurae  
180 impubes pueri vel quos aetas adolevit ;  
181 pube tenus tanta faciei compositura  
182 vernant, aetati quae congruat et speciei,  
183 exsuperet quorum Narcissum gratia vestrum,  
184 quos a diis genitor moderata decencia signat.  
185 Solis conjugibus, spreto Ganymede, vacamus ;  
186 nobiscum alterius non est violatio sexus.  
187 Qui memorare situm memoratae desinat urbis ?  
188 Est siquidem Trojae situs ipse saluber et aptus :  
189 dives enim tellus cerealia farra quotannis,

190 vomere culta levi, cupidis messoribus affert.  
191 Ipse etiam tractus hilari dilectus Iaccho  
192 exhilarat gentes geminata commoditate :  
193 Bacchica non similes generat Praeneste racemos,  
194 immo, nec ille locus, qui dicitur Area Bacchi,  
195 urbi vicinus quam dicunt Aurelianem,  
196 talia vina bibit nec talia vina refundit  
197 (quae rex Henricus semper sibi vina ferebat,  
198 semper ut in bellis animosior iret et esset -  
199 pauperibus siquidem velut addit cornua Bacchus,  
200 sic ignit tepidos et dextras armat inermes).  
201 Arbore pomifera passim plaga nostra redundat ;  
202 nec desunt fontes, nec prata virentia desunt,  
203 pascua non pecori, non altrix silva ferinae.  
204 Insequimur cervos, scutatos figimus apros,  
205 auritos lepores, damnas et rhinocerotata.  
206 Quis praetermittat Simoentis clara fluenta ?  
207 Quis Xanthi vitreas non admirabitur undas  
208 cui, praeter Ligerim, nullus similabitur amnis,  
209 et qui Burgulii rigat ortos Cambio felix ?  
210 Hic quoque piscosae sapor est et copia praedae  
211 et resonant undae stagnantes alite multa.  
212 Pinus auricomas quis non miretur in Ida,  
213 quercus glandiferas, tangentes sidera cedros ?  
214 Fraxinus in silva rigidis hastilibus apta.  
215 Omnis ager nobis hac fertilitate redundat  
216 sicut in autumnis ut totus rideat annus,  
217 aut mixtum speres autumnno perpetuum ver,  
218 dum flores semper, dum fructus semper habemus.  
219 Ne me falsa putes mandatis inseruisse,  
220 tu veniens videas quod erit testare videndo :  
221 non melior testis quam qui conspecta profatur ;  
222 testis ego verus, et adhuc mea dictio constat :  
223 has altercantes direxit Juppiter ad nos ;  
224 noverat is nostra quia sit sententia justa ;  
225 iudicium feci nequeat quod jure refelli.  
226 Crede modo Paridi, Paridi quia numina credunt :  
227 in nullis fallax, in cunctis sum tibi verax.  
228 Sique venire cupis, timeas tamen ipsa venire,  
229 vel quia flat Boreas et quassant aequora pupim,  
230 vel quia vir praesens nolentem te retineret,  
231 altera sit nobis, diis altera sollicitudo :  
232 ipse virum reprimam, dii flamina turgida placent.  
233 Implebo, si vis, armato milite classem ;  
234 obvis ipse viro pugnantem ense repellam  
235 et praedam pugnantem intra mea Pergama ducam.  
236 Nobilis o praeda, semper memoranda rapina,  
237 quae mihi pluris erit, si sit mea sanguine fuso,  
238 quae mihi plus placeat nostro pensata cruore,  
239 quam potius caram reddent commercia dura :  
240 gratius est etenim quod quis sibi vindicat armis.  
241 O nimium felix quem talis praeda praeibit !  
242 Pro tali praeda Stygias innasse paludes  
243 vel quemvis vellem durum superasse laborem ;  
244 aurea multa mihi non essent vellera tanti,  
245 attamen expetiit Jason non multa, sed unum.

246 Sique venire velis, potieris compote voto,  
247 Nam, nisi si nolis, veniendi non eris impos :  
248 non virtutis inops erit umquam filia Ladae.  
249 Est opus incepto, si vis te credere ponto.  
250 Si mare sit placidum, si vela Favonius inflet,  
251 te committe rati, si vir tuus hinc procul absit.  
252 Credo quod superis industria vestra favebit ;  
253 quocirca, securus ego certusque peroro :  
254 credo velis nolis oracula certa deorum.  
255 Nam veniet, veniet quicquid cecinere futurum ;  
256 si vis, illud erit, et erit, si forte repugnans ;  
257 poena repugnantem spectat, pax grata volentem.  
258 Ergo, velis cum diis, quia diis obstare nequibus.  
259 Te quoque venturam tua littera significabit  
260 atque tuum pernix ad nos iter anticipabit.  
261 Vestraque legato mandetur epistola fido  
262 nostraque versetur latitans sub pectore vestro.  
263 Sique deest aliquid quod oportuerit magis addi,  
264 addas : nam subito quo littera jusserit ibo.  
265 Ibo pedes vel eques vel, si placet, ibo liburnis ;  
266 ibo solus ego vel fretus remige multo.  
267 Id mihi difficile, quod nolis ipsa jubere ;  
268 sique jubere velis, nil est grave nilque molestum.  
269 Nam mihi sunt classes, mihi sumptus et mihi vires  
270 et mihi sunt comites ; nostri quoque dii miserentes  
271 sunt adiutores. Nihil obstat ; uterque velimus.  
272 Dic mihi sic : "venias", veniam quo carta notabit.  
273 In Paridis thalamos dea migratura, valetio,  
274 terque quaterque vale, valeas ut et opto valere.  
275 Sic mihi rescribas ut me jubeasque valere  
276 et per te valeas tua scripta mihi recitare.  
277 Attamen amplectar, in me quoque paene recondam  
278 quae veniens Helenae recitabit epistola nomen.  
279 Carta quidem felix nimium, quae tangere vestras  
280 in scribendo manus meruit, felicior autem  
281 haec mea, si recubans Helenae sub pectore pauset !  
282 O tunc charta Paris, Paris autem charta fuissem  
283 atque modo possem poterit quo charta latere !  
284 Atque meus subito rursus mihi sensus inesset  
285 et scires quis ego, quis ego quoque dicere possem ;  
286 charta domi remaneret, ego quoque mitterer ad vos,  
287 essem legatus pro me bonus atque fidelis ;  
288 interpres Paridis Paridisque vicarius essem  
289 et propter Paridem tecum causas agitarem ;  
290 et responderem, si respondere juberer,  
291 et sapidos oculos et verba saporis notarem,  
292 et de te raperem quod me rapuisse deceret.  
293 Quam citius poteris, Paridem tua charta revisat,  
294 ut fessum recrees et sanes debilitatum.  
295 Et, rogo, dulcisono resonet te charta boatu  
296 sitque mihi speculum per quod te cernere possim.  
297 Florida verba mihi deleget florida virgo,  
298 quae mihi Ladaeae vultum mentemque figurent,  
299 verbaque mellito tua sint condita lepore  
300 et potius scribas mihi quae placitura videbis.

v.1 Fama tuum nomen nostram celebravit in aurem  
2 estque diu Paridis quod res et commoda novi,  
3 iudicium factum te totum sparsit in orbem :  
4 nam quis conticeat de iudice dicere tanto ?  
5 Diis quasi praelatus est jam qui iudicat ipsos.  
6 Jussus es edictum libripens proferre deabus,  
7 ut sopirentur mentes ita litigiosae.  
8 Juppiter astute subduxit iudicio se  
9 (et tamen ipse satis litem discernere posset,  
10 quam dictarat eis pomo Discordia jacto,  
11 amens a mensa quod erat seclusa deorum),  
12 sed neutram voluit sapiens offendere divus ;  
13 jussit eas Paridis demum decreta subire.  
14 Iudex iudicio finem superapposuisti.  
15 Sic intellexi rem, sic ex ordine novi ;  
16 quin etiam, quae sit merces tibi debita novi,  
17 quid Venus et Juno promisit quidve Minerva,  
18 vel quam vel cuius promissum praeposuisti.  
19 Quam puto, quam spero melius dii fata secudent  
20 spemque metumque meum (per)mutent in potiora ;  
21 a superioribus melius liceat sperare timentibus.  
22 Ha ! Nimium timeo quia sit tibi perfida Juno,  
23 quod tibi sit deitas gravis atque molesta Minervae.  
24 Ira fuitne, rogo, magnae Junonis inulta ?  
25 Turbata Junone, simul turbabitur aer ;  
26 aere turbato, tellus infida manebit.  
27 Juno maritat humum, si nobis pacificetur,  
28 et malesuada Jovis subducet commoda nobis.  
29 Dissentire nequit conjunx a conjuge tanta ;  
30 Junonem numquam non exaudire valebit  
31 Juppiter atque Jovi semper sua Juno favebit :  
32 quare Junonis omnino est ira timenda.  
33 Praeterea, tua nobilitas et gloria Trojae  
34 et Priami nomen antiquatumque volumen  
35 sceptrigeri multas dominatus in regiones,  
36 Hectoris et nomen nostras devenit ad aulas.  
37 Totius mundi nobiscum machina vivit :  
38 namque quid igniti lateat tot lumina solis  
39 aut ad nos mittit aut nobis subditur orbis.  
40 Vix locus est ullus cui non dominemur in orbe :  
41 Aethiopes, Indos devicit nostra juvenus  
42 et domuit linguam quam dicit Graeca Latinam.  
43 Thebarum noster prostravit moenia miles ;  
44 fragmina fumiferos reddunt hucusque vapores.  
45 Nescio quo pacto vires evasit Achivas  
46 atque suo potiatur adhuc tua Teucra sceptro.  
47 Nescio quid patula mihi nunc versatur in aure,  
48 nescio quid secum mea mens pensando susurrat  
49 et res ex rebus quasi praesagando volutat.  
50 Tu causam quaeris tibi qua dominantur Achivi,  
51 qua prosternantur, nisi fallor, moenia Trojae.

52 Nec mihi fibrarum nec praepetis omina pennae  
53 nec sacra Junonis incognita nec sacra Phoebi.  
54 Tu mihi factorum, mihi tu responsa deorum  
55 affers et rerum magnarum volvitur ordo.  
56 Est etiam nobis augur, Dictaeus Apollo,  
57 atque futura mihi stillavit cordis in aure :  
58 is mutanda mihi conubia saepe profatus  
59 et natale solum dixit pariter fugiendum.  
60 Me regno Trojae dotandam praecinis esse ;  
61 audio res magnas, jacet hic mutatio rerum :  
62 hoc siquidem pacto Trojae dominabitur Argus.  
63 Ne quid inexpertum, ne quid sit non superatum  
64 virtuti nostrae, dii res ita regnaque pensant :  
65 vel duo jungam, vel ego duo regna resolvam ;  
66 causa rei magnae convertor femina sola,  
67 si mutabo solum, si foedera prima refutem.  
68 Hoc itidem dudum mihi vates insinuarunt  
69 terque quaterque mihi seriatim rem recitarunt.  
70 Sed me Junonis multum deterret imago,  
71 nusquam commota vadam secura Minerva.  
72 Forsitan explebo, fatis auctoribus, hanc rem :  
73 tristibus inceptis deitas infensa favebit,  
74 ut male perfectis olim malus exitus instet  
75 et peccatores exterminet ultio dira.  
76 Id cave ne nobis in crastina tempora fiat.  
77 Sed dicis verum : placari numina possunt.  
78 Esto. Placentur. Placabilis hostia fiat  
79 et dimittatur facta pro fraude reatus ;  
80 dii placabuntur, si crimina destituentur.  
81 Sed si crimen erit Paridi quod adultera nubam,  
82 restituarne viro ? Repetam conubia spreta ?  
83 Sed qua despectum prospectem fronte maritum ?  
84 Numquid despectum vir me dignabitur ultra ?  
85 Placarine potest polluta conjuge conjunx ?  
86 Nec cito dimitti pollutio publica quibit.  
87 Numina, ni redeam, nusquam mihi conciliabo :  
88 velle redire grave est, gravius quoque nolle redire.  
89 Sed potius peream quam, si tibi nubo, revertar.  
90 Eripiarne tibi, mihi vel magis eripieris ?  
91 An te desererem infelix et vivere possem ?  
92 Siccine divellar Paridis complexibus umquam ?  
93 Heu, semel innexus solvetur nexus amoris ?  
94 Hoc solo verbo mea jam precordia marcent.  
95 Taliter has pensans mecum delibero causas.  
96 At desolatam rursus res consulit ipsa :  
97 non id praeciperent superi, si culpa fuisset.  
98 Crimen adulterii non numina sancta monerent :  
99 caelicolae tales occasio criminis essent.  
100 Ipsi discernunt, rem tractant altius ipsi,  
101 non debemus eis torpenti corde favere ;  
102 ipsi principium, medium finemque serenent.  
103 Attamen et superos aliquid fecisse fatentur :  
104 Juno Jovi summo, si creditur, insidiata est ;  
105 insidiata virum de pellice saepe notavit :  
106 Argus vivit adhuc custos ne Juppiter erret -  
107 de Ganymede quidem penitus decerno tacere.



108 Illicitos Veneris complexus Sol reprehendit  
109 et nymphae faciles diis consensere frequenter ;  
110 et sibi saepe favent necnon sibi numina parcunt.  
111 At nos censura, sua nos correctio dura  
112 continuo cohibet, quatit asperitate severa.  
113 Sed contra superos quae nos praesumptio movit ?  
114 Aequanimi voto patiamur facta deorum.  
115 Quicquid agant etenim non est reprehendere nostrum :  
116 diis liceat facere, nobis liceat tolerare.  
117 Nos quoque de nostris, homo, sollicitemur agendis.  
118 Ut scribis, Trojam si venerit hospita conjunx,  
119 conjunx alterius, conjunx de gente superba,  
120 in quam si veniam (quia de me carta profatur),  
121 infestabor ego quandoque furore tuorum :  
122 et tua plebs nimiam pro me ferveret in iram  
123 et tua progenies, tua copia magna parentum,  
124 in me consurgens, cum bellis afficientur  
125 quae modo non sperant, incommoda cum patientur.  
126 Namque meae gentis mihi magna superbia nota est :  
127 sunt genus infractum, gens invictissima bello,  
128 quae perferre queat duros nimiosque labores,  
129 provida consilio, gens plurima, gens opulenta.  
130 Nec thalamo Paridis patientur me sociari,  
131 dii licet annuerint, sedato pectore Grai.  
132 Ulciscenda sibi superest injuria tanta  
133 et conjurabit propter me Graecia tota :  
134 nam sic amissam rex efferus ipse dolebit  
135 et populos omnes dolor altus in arma ciebit.  
136 Sique meus nolit quasi dedignando maritus  
137 hoc scelus ulcisci, tegat iram dissimuletque,  
138 at non hoc ejus frater pateretur inultum,  
139 Cecropidaeve duces, Ajax et durus Achilles  
140 praesignansque patris animum jam Pyrrhus Achillis,  
141 Thessandrus, Stelenus, Palamedes et Diomedes,  
142 consiliis pollens et fraude malignus Ulixes  
143 atque duces alii, quorum dare nomina longum est.  
144 Hi Trojam longa vallabunt obsidione  
145 atque manu dira miscebunt proelia multa.  
146 Tunc dare terga prius discet Trojana juvenus  
147 et quos assuetos armorum ferre laborem  
148 scribis et invictos et diro Marte potentes  
149 imbelles videas et vulgus iners reprehendas ;  
150 frigida corda putes gentemque vocabis inermem.  
151 Nam Dolopum tanti constabunt agmina vobis  
152 ut, si pugnetis, vos non pugnasce putetis,  
153 quosque pusillanimes nunc asseris et muliebres  
154 magnanimos videas et confiteare viriles.  
155 Parcius ergo suo suus hostis deroget hosti.  
156 Accinctis et discinctis est gloria dispar :  
157 lauda victores tandem certamine facto.  
158 Mutua pax nobis modo, gens utrimque togata -  
159 confligent acies : ense res ipsa rogabit.  
160 Laus neutri parti, nisi laus quam vindicat ensis :  
161 ensis parturiat, non verba volantia, laudem.  
162 Et minus audaces res non bene gesta refrenet,  
163 victores autem res gnaviter acta coronet.

164 Quos neque conjunxit vel necdum pugna diremit,  
165 et necdum potitur gens haec aut illa triumpho,  
166 parcius extollas hos, parcius hos reprehendas.  
167 Nec tamen obliquis anfractibus invehor in te  
168 nec Teucrum Paridem regina redarguo regem ;  
169 sed tamen eventus belli foret inspiciendus  
170 et tunc emerito potiretur quisque triumpho.  
171 Tunc quoque namque mei me maxima cura remordet,  
172 cum belli instabunt propiora pericula Teucris.  
173 Tunc prius illicitos abjurabunt hymenaeos,  
174 tunc omni populo conjunx odiosa videbor.  
175 Cum vero natos matres nuptaeque maritos  
176 et cum virgo suum bellis amittet amicum,  
177 cum funestabunt sua Pergama sanguine cives,  
178 cum cadet exsanguis puer ante oculos genitoris,  
179 Tyndaridis facies invisa videbitur atque  
180 totius belli furialis noxa dicabor ;  
181 et temerata phalanx reliquorum armabitur in me  
182 atque retorquebunt in me dispendia pugnae ;  
183 tuncque ligata manus Atridae restituenda  
184 exsolvam poenas quas dictet adultera Troja,  
185 quae me pellexit per multa oracula vatum,  
186 quae precibus votisque suis mea corda subegit,  
187 quae rea pollutae nostrae fuit integritatis ;  
188 namque tibi parcet sanguis tuus et tua Troja  
189 atque meus sanguis surget crudelior in me.  
190 Haec Helenam reprimunt, Helenam haec metuenda coercent.  
191 Immo, jugalis amor, etiam tenor integritatis  
192 haec me dissuadent ne muter ad extera regna.  
193 Attamen a superis sperare licet potiora :  
194 propitiabuntur dii, si diis gratificemur,  
195 et meliorabunt sua vel praesagia nostra.  
196 Pro re tantilla, fortassis non Menelaus  
197 aut alter multum super hoc Atrida dolebit ;  
198 seu pro Ledaea jurabit Graecia tota,  
199 sed prohibebuntur ne vadant omine diro ;  
200 seu mare fluctivagum saevis aquilonibus actum  
201 obruet in pelagus disperso milite vulgus ;  
202 sive loquax Ithacus multo caecabitur auro  
203 et solus faciet pacem venalis Ulixes,  
204 dives et a Graecis Priamus redimetur avaris ;  
205 aut etiam optato potietur Troja triumpho  
206 atque minor numerus disperget milia multa ;  
207 vel finem pugnae pugnando differet Hector,  
208 sive molestati longe nimis obsidionis  
209 casibus, Argivi gladioque fameque subacti  
210 illaesa Troja remigrabunt ultro Mycenae.  
211 Quando volunt superi vel parcere vel misereri,  
212 quis queat effari, numerare sed et meditari  
213 quot signis, quot portentis, quanta ratione  
214 secreta subito rerum mutatio fiat ?  
215 A superis ergo quisquis speret meliora :  
216 semper enim superi sunt indulgere parati,  
217 lenit decretum lenis clementia divum  
218 consiliumque suum clementer numina mutant,  
219 nec tamen injuste, sed secreta ratione.

220 Ergo, confisa plus de bonitate deorum  
221 quam diffisa meis vel factis vel faciendis,  
222 ipsa favere simul diis et tibi credula possem,  
223 si non obstaret res altera, res nocitura,  
224 res mihi quae gravis est, feralis et intoleranda :  
225 me nimis angustat violandi fama pudoris.  
226 Et licet ipse pudor, si venero, non violetur  
227 (nam me fata vocant, et sic rem numina pensant),  
228 attamen humanas infamia polluet aures,  
229 quae legem nescit neque jus edicere novit,  
230 quae bona vel reticet aut inficit aut male mutat,  
231 res male mutatas vacuas dispergit in auras.  
232 Id timeo ; gravis est infamis superstes.  
233 Nam mea forma velut terrarum splendet ubique  
234 atque meum nomen decor unicus extulit orbi,  
235 sic levis aura meos mortalibus efferet actus  
236 nec dicet quanta vel qua deitate coacta  
237 hospes ad externum transivi femina regnum,  
238 quam facie tristi, quam pectoris integra casti,  
239 quam diris divum terroribus expavefacta,  
240 paene minis monitisque patentibus exanimata.  
241 Tantum dicetur : "Rupit Ledaea pudorem  
242 atque jugale viri violavit adultera foedus."  
243 Hac turpi populos aspergine fama replebit  
244 et Ledam laedent eadem contagia matrem ;  
245 fata simul fratrum jamjam divina meorum  
246 rumor et infestus vel fama volans viciabit.  
247 Tunc autem matris faciem pudibunda videbo ?  
248 Aut, rogo, qua facie supplex fraterna rogabo  
249 numina, dum pro me tulerint opprobria dura ?  
250 Hunc etiam poterit ratio lenire timorem :  
251 nam mihi nil aliud nisi tantum fama nocebit.  
252 Nam, quia divino justo res ordine fiet,  
253 hanc saltim fratres rem noscent, utpote divi  
254 et geminum sidus paulo post ambo futuri.  
255 Aequanimes igitur fratres materque benigna  
256 remque serenabunt et sic decuisse probabunt.  
257 Nil nocet ergo mihi nisi fama modo popularis,  
258 scilicet in populos haec turpia verba refundet,  
259 culpas augebit, de diis taciturna silebit.  
260 Nam velut infamis velit omnis fama volare,  
261 haec bona quaeque tegit, mala vero spargit in auras.  
262 Non tamen id timeo, si fama quod est fateatur,  
263 ut probitas Helenae nosterque pudor maculetur,  
264 sique velit falsos intermiscere colores.  
265 Inficiet verum, nigro superinduet album ;  
266 si tamen est justum plenumque viget rationis  
267 nisibus ut totis faciamus jussa deorum,  
268 Scyllaeos strepitus ut surdi praetereamus :  
269 vulgaris ventus non est diis anteferendus.  
270 Sic placeamus diis ut vulgo displiceamus,  
271 si tamen est a diis longe sententia vulgi.  
272 Sique potest fieri, parti placeamus utrique ;  
273 sin autem, deitas audacter praeficiatur.  
274 Sic deitas loquitur ut numquam falsa loquatur,  
275 sic et homo loquitur nonnumquam ut falsa loquatur.

276 Ergo, caelicolis constat magis esse favendum  
277 qui numquam fallunt, numquam falluntur et ipsi,  
278 quam qui terrigenae fallunt, falluntur et ipsi.  
279 Diis igitur faveo : sequor ad quaecumque vocabunt.  
280 Heu, Menelae meus, quam lugubris avehor a te,  
281 quam lacrimosa tuis rapior complexibus uxor !  
282 Heu, quam dura meum patitur suspiria pectus !  
283 O utinam vel nunc diis non parere liceret,  
284 vel non essent dii, quibus ut faveamus oportet !  
285 Ut furibunda loquor, quia torquet viscera meror ;  
286 anxietate gravi facies pallendo liquescit.  
287 Eripiarne meo vivens mulier Menelao ?  
288 En violabo fidem quam debeo nupta marito ?  
289 Saltim testis erit lacrimarum vena mearum  
290 insomnesque oculi, dolor et suspiria cordis,  
291 et qui cuncta videt sol, et nox conscia luctus,  
292 conscius et lectus libatae virginitatis,  
293 quod penitus nolens patriis divellor ab agris  
294 quodque viri tandem thalamos invita relinquam.  
295 Attamen ipsa meum sub corde feram Menelaum  
296 nec poterit nostrum removeri pectus ab ipso -  
297 et sit testis Amor me non violasse pudorem.  
298 Nec tamen ipsa fidem tibi conservabo minorem  
299 nec minus in Paridem quam debet sponsa movebor.  
300 Immo, jugalis amor, tenor inconvulsus amoris  
301 libatique suo complexus more vicissim  
302 dandaque mox nobis occasio colloquiorum  
303 revera poterunt mentes unire duorum.  
304 Ergo, non ultra claras visura Mycenae,  
305 ad mihi promissum Paridem fatis properabo.  
306 Jam, mea terra, vale dulcesque valetate Mycenae  
307 tuque, meus thalamus, mihi conscius et Menelao,  
308 ipse maritali quem foedere saepe sacravit.  
309 Vadam gente mea caritura simulque propinquis,  
310 vadam sceptrigeri Priami visura Penates,  
311 nec jam me retinet pudor aut labor ullus ituram.  
312 At discessurae clam non est duxque comesque,  
313 hanc cum praesertim scierit rem nemo meorum  
314 nec cuivis mandare velim secreta deorum.  
315 Ergo, quem super hoc totiens dii praemonuerunt  
316 et cui fata favent, Paris, obvis ipse venito :  
317 nam tibi res agitur, tibi femina Graeca paratur.  
318 Curaque major ei cui res erit utilitatis,  
319 ille labor placeat, cui merces grata subinstat.  
320 En ego mando tibi, tua sicut epistola dixit :  
321 te sicut vellem venturum significasti.  
322 Ecce volo venias, venias velut institor alter.  
323 Tres tantum naves electo milite comple  
324 (res citius fiat quam rumor praeveniat rem)  
325 et malo ramus superappendatur olivae :  
326 sic urbi pacem, mihi designabis eundem.  
327 Ut vero tanges portus et littora nostra,  
328 tu lateas intus ; socii nautaeque loquantur.  
329 Quae deceant reges vos res dicatis habere  
330 nec nisi reginae vel regi ostendere velle  
331 nec vos posse rates hinc vestras exonerare ;

332 sed veniat rex et regina vel alter eorum.  
333 Interea lateant ne possint arma videri  
334 et superaddatur armis quaecumque supellex.  
335 Nuntius, ut mos est, veniet festinus ad aulam.  
336 Ipsa domi subito faciam remanere maritum.  
337 Cum paucis adero. Qui sitis et unde rogabo ;  
338 Trojam vos, aliud simulantes, dissimulate.  
339 Ascendam navem. Vos autem, rumpite funem !  
340 Et velox placida remus lentetur in unda,  
341 et mox in plenos vertantur carbasa ventos,  
342 ut fugiat navis velocior alite quavis  
343 et faciat pernix fuga desperare sequentes.  
344 Si tamen ira meos armabit et efferet in nos,  
345 ille meus quicumque licet tua sentiat arma.  
346 Praecedat quae me portaverit uncta carina  
347 sustineantque duae bellum pondusque sequentum.  
348 Ista licet non sic res insperata pararit  
349 nec quid opus facto gens noverit obstupefacta,  
350 ocus ergo sibi quam possint consuluisse  
351 accelerate fugam ; quin, ventos anticipate.  
352 Tunc jubeas toto remis incumbere nisu,  
353 tunc a me prudens oculos averte parumper.  
354 Tempus erit de me cum sit tibi tota facultas  
355 et queat expleri nobis alterna voluptas.  
356 Ecce tuae chartae respondit chartula nostra.  
357 Nostra locata tuo sub pectore littera pauset,  
358 nam tua pausabit nostro sub pectore semper,  
359 a sinibus donec nostris avulseris ipsam.  
360 Littera, quaeso, mea, Paridem mihi saepe saluta :  
361 saepe salutato Paridi me gratificabis ;  
362 non tardabit enim, si gratificabimur illi.  
363 Exspectate, veni, Paris, ut pariter redeamus,  
364 ne faciendo moras ortantis vota retundas,  
365 ne mihi mentem dii vel mutent aequora venti.  
366 Sic mihi rescribas ut tu tua carmina reddas,  
367 quatenus exponas non intellecta legenti,  
368 praesenti praesens ut possis dicere : "sic est" ;  
369 immo, quod exspecto mihi dicas illud aveto.  
370 Suscipiasque meum tibi me dicente valetio.

9 AD GIRARDUM SCRIPTOREM SUUM

v.1 Sic, Girarde meus, tibi sit pes unus ut alter,  
2 quodque tibi cupio, carmina scribe mea.  
3 Carmina carminibus nostris superapposuissem,  
4 si superapposita susciperent tabulae.  
5 Implevi nostras, dum tu pigritare, tabellas,  
6 dum scriptum in cera lentus es excipere.  
7 Ut vero ceram vacues, opus excipe nostrum ;  
8 ut probus a solita te excute pigritia.

10 AD EUM QUI CARMINA MISSA MUTUO ACCEPERAT

v.1 Carmina missa mihi, tibi mutuo tradita credo,  
2 vix scio cui debet pagina nostra vale.  
3 Et tamen in primis ipsi rescribo poetae  
4 carmine qui celebrat nomen in astra meum.  
5 Te quoque, sub cuius me nomine carmen adivit,  
6 carminibus jubeo participare meis.  
7 Quod tibi si versus legalis causa tuetur,  
8 hoc ex me totum te resalutat opus.  
9 Nec rosa nec viola plus tempora verna decorat  
10 quam juvenum solus agmina condecoras.  
11 Qualis honor pratis flos plurimus herbaque jugis,  
12 tu forma, sensu talis honor sociis.  
13 Ignotum facie te tota colligo mente  
14 et faciem rutilam saepe figuro mihi.  
15 Si mihi te socium felix accomodet hora,  
16 me Croesi credam spernere regis opes.  
17 Si locus est, mihi fac ignotus cognita signa  
18 et formae iudex sim Paris alter ego.  
19 Quem nosti nostrum, saltem complectere pro me,  
20 pro quo consilium quod petis ipse dabo.

11 DE IOHANNE DESIDERATO DIUTIUS

v.1 Quem mea vota mihi specialiter insinuarant,  
2 hunc modo praeter spem contulit ista dies.  
3 Contulit ista dies et felix hora Johannem  
4 solius ut solus colloquio fruerer.  
5 Colloquium tandem concors utriusque voluntas  
6 ditavit nobis, favit et ipse locus.  
7 Ergo dies felix et semper prospera crescat  
8 quae pavit nostram dapsilis esuriem.  
9 Temperie verna semper locus ille virescat,  
10 qui nos votivos praebuit esse simul,  
11 qui nos optatis et colloquiis recreavit  
12 et modo nos nostri non sinit immemores.  
13 Est quoque sanctarum genus illud amicitiarum  
14 quod tandem nullis afficitur maculis.  
15 Hoc mecum tota stabilivit mente Johannes ;  
16 ergo sit ipse meus, ipse Johannis ero.

12 LUDENDO DE TABULIS SUIS

v.1 Quisquis majores habet his tabulasve minores,  
2 aequalis formae non tamen ullus habet.  
3 Corpore sunt parvae, sed magnae munere formae,  
4 cura sagax illis quam dedit artificis.  
5 Illa manus siquidem nimium fuit ingeniosa,  
6 tam brevibus foliis quae dedit hanc speciem.  
7 Sic conectuntur octo sibi parvula ligna,  
8 ut quivis lignum fissile speret idem.

9 Hae tabulae nostrae vix essent semipedales,  
 10 Astula si duplo longior ipsa foret.  
 11 O nova lex, nova res, nova progenies tabularum !  
 12 In manibus nanas en habeo tabulas.  
 13 Ut dicunt, olim generavit terra gigantes,  
 14 quae commoverunt corpora magna deos ;  
 15 fulminibus tandem destructa prole gigantum,  
 16 simia vel nanus editur alter homo.  
 17 Tunc homines etiam produxit terra minores,  
 18 ne bellis audax terreat astra gigas.  
 19 Sic, sed placata deitate, dolatile lignum  
 20 artificis studium transtulit in modicum.  
 21 Vos igitur tabulae Faunorum, vos Satirorum,  
 22 factae paene nihil, ludus abhinc eritis.  
 23 In latum, versus vix octo pagina vestra,  
 24 in longum vero, vix capit hexametrum ;  
 25 attamen in vobis pariter sunt octo tabellae,  
 26 quae dant bis geminas paginulasque decem -  
 27 cera namque carent altrinsecus exteriores :  
 28 sic faciunt octo, quatuor atque decem.  
 29 Sic bis sex capiunt, capiunt et carmina centum :  
 30 id quoque multiplices paginulae faciunt.  
 31 Qui vos compegit valeat tabularius ille ;  
 32 felices tabulae, vosque valetate diu.  
 33 Sit vobis oculos viridis color ad recreandos,  
 34 sint indiruptae vincula corrigiae,  
 35 sitque stilus vobis, quem fecerit Andecavensis,  
 36 noster Lambertus, ipse suis manibus,  
 37 sit quem consuerit saccum subtilis Arachne,  
 38 qui casus omnes extimus amoveat.  
 39 Qui mihi vos misit - hoc est abbas Sagiensis -  
 40 sollers ploranti misit avem puero.  
 41 Sed vester mecum ludus perduret in aevum,  
 42 a tabulis numquam scilicet amovear.  
 43 Vivam vobiscum ; vos autem, vivite mecum ;  
 44 tandem nos unus suscipiat tumultus.  
 Amen

13 AD RADULPHUM MONACHUM

v.1 Ad me charta mei venit mellita Radulphi,  
 2 quam sapor immensae condit amicitiae.  
 3 Quali acumque meo reddam rescripta Radulpho  
 4 quae favor egregiae tutet amicitiae.  
 5 Alloquor ergo meum, scripto resaluto Radulphum,  
 6 qui mecum vivit portio magna mei.  
 7 Alter ego, vel ego si sint duo spiritus unus  
 8 sique duo fiant corpora corpus idem,  
 9 ut valeas dico, te tota mente saluto,  
 10 quodque mihi vellem deprecor omne tibi.  
 11 Non est quod plores, quamvis impleverit aures  
 12 infestus rumor turboque falsiloquus.  
 13 Cum necdum vadam me plorans plangis iturum ;  
 14 hoc post cras aliter forsitan esse potest.

15 Quod si non vado, si sol mutaverit auram,  
16 incassum lacrimas exseris ecce tuas.  
17 A lacrimis igitur in talibus abstineatur,  
18 donec rem certam certa fides dederit.  
19 Quod si praenimio lacrimas ardore praeoptas  
20 nec servat tempus impatiens animus,  
21 me potius plangas obiturum, non abiturum :  
22 altera certe res, altera forsitan erit.  
23 Pro certis rebus certas lacrimas habeamus.  
24 Providus et prudens damna futura cave,  
25 aut nihil aut modicum pro damnis plange futuris ;  
26 quod superest, valido praetereas animo.  
27 Quas tamen et valeo grates tibi, care, repenso,  
28 quod mihi sollicitas jam tribuis lacrimas.  
29 Non tamen emerui quia pro me sollicitaris,  
30 sed facit hoc animi vena benigna tui.  
31 Hoc modo perpendas : vadam sit plena facultas,  
32 impos ero voti si remanebo domi.  
33 Me tamen et certum reputa tibi semper amicum,  
34 omnipotens donec finiat alterutrum.  
35 Nunc quoniam fragilis sine remige cymba procellis  
36 erro, mihi portum redde tuis precibus.

14 IN ROTULO NATALIS ABBATIS

v.1 In rotulo multi, cum sollicitudine quadam,  
2 dicendi seriem semper metantur ab Adam.  
3 At, dum pro primi plasmati crimine plorant,  
4 saepius incassum subnectere multa laborant.  
5 Sed pro Natali nunc est abbate loquendum ;  
6 ergo, quod prosit scriptis fuit adjiciendum.  
7 Cultor Natalis monachorum religionis  
8 caeli jungatur, Christo miserante, colonis.  
9 Hunc, Nicolae, tuis precibus meritisque tuere,  
10 quem sibi patronum vivens delegit habere.  
11 Nos pro Natali carmen faceremus anhelis,  
12 si multum carmen posset prodesse fideli ;  
13 sed quia non prosunt odarum garrulitates,  
14 odarum, quaeso, seponamus levitates.  
15 Intenti precibus, breviter loca subtitulate,  
16 ne calamus vehemens pariat dispendia cartae,  
17 hic fuit ecclesiae, dum vixit, firma columna ;  
18 ergo Jerusalem vivat mens ejus alumna.

15 DE NATALI ABBATE

v.1 Abbas Natalis has aedes amplificarat  
2 et noviter factas Urbanus papa sacrarat,  
3 cum, Nicolae, tuum Deus accersivit alumnum,  
4 cui dedit aeternum solemni funere somnum.  
5 Hic modo Natalis pro carne jacet cineratus,  
6 cui noceat nullus pro camis sorde reatus.



v.1 Abbas Natalis, flos abbatum specialis,  
 2 signat quid sit homo, factus humus sub humo.  
 3 Vir capitis cani, meriti vir sanctus opimi,  
 4 huic vivens late profuit ecclesiae.  
 5 Defunctus vero, sacris hanc ossibus ornat,  
 6 quae tamquam nutrix confovet iste lapis.  
 7 Hic, Nicolae, tibi servus devotus adhaesit :  
 8 idcirco servi nunc memor esto tui.  
 9 Christo commenda quem mundo Christus ademit,  
 10 huncque patrocinii jure tuere tui.

v.1 Si quid defunctos posset mea musa juvare,  
 2 debueram musam revera continuare ;  
 3 sed pro defunctis potius duo sunt facienda,  
 4 usus quae nobis et jus designat agenda :  
 5 nam pro defunctis jus et compassio plorat  
 6 et pro salvandis animabus proximus orat.  
 7 Ergo, brevem musam ponamus pro monumento  
 8 resque procul nostro sit inutilis a documento.  
 9 Flentes Rainaldo Remensi compatiamur,  
 10 orantes autem patriarche subveniamus.  
 11 Pro te nostra madent, pater optime, fletibus ora.  
 12 Oramus pro te ; pro nobis, quaesumus, ora.  
 13 Colligit ultra fas rotularis epistola multa,  
 14 quae, quasi parcentes nugis, transimus inulta.  
 15 Et fuit exiguae condignum parcere cartae.

v.1 Singultus duplices rotularis pagina profert :  
 2 primum namque Johel, denique flevit Hoel.  
 3 Abbas alter erat, alter fuit ordine praesul ;  
 4 hi Cenomannis sol scilicet exstiterant.  
 5 Hos quoque morte pari modico Deus attigit ambos,  
 6 ut sint translati sidera magna poli.  
 7 Amborum pariter nobis exempla refulgent,  
 8 ambo nunc nostras irradiant tenebras.  
 9 Si vero maculas dedit illis quilibet error,  
 10 erroris veniam cunctipotens det eis.  
 11 Interea, tantis urbs desolata patronis,  
 12 pro te funde preces atque memento tui.  
 13 Elige quos mavis, tamen elige qui tibi prosint,  
 14 quorum subjectis proficiat regimen,  
 15 quorum sermo duo tibi testamenta propinet,  
 16 caelebs caelicolis vita coaptet eos.

17 Haec rescripta tibi transmittunt Burguliani,  
18 pro te praemissis quas decuit precibus.  
19 Te quoque fraternae pietatis viscera cogant :  
20 commendes nostros nosque precando Deo.

19 EPITAPHIUM SUPER HOELUM CENOMANNENSEM

v.1 Intempestivo casu defecit Hoelus,  
2 sol Cenomanorum pontificumque decus.  
3 Alloquio dulcis, nulli pietate secundus,  
4 omnibus exemplar religionis erat.  
5 Hunc plangit sua plebs et vicinae regiones,  
6 quem venerabantur jure patrem patriae.  
7 Hic igitur positum solemniter more revisunt  
8 et coram sancto vota vovent tumulo.

20 ALIUD

v.1 Ora madent et corda gemunt et corpora marcent,  
2 cum tumulo titulus sculptus in hoc legitur.  
3 Iste refert titulus quia morte gravatus Hoelus  
4 fecit pupillos morte sua populos.  
5 Urbs Cenomannensis flevit specialiter ipsum,  
6 illis pontificem quem dederat dominus.  
7 Pausat in hoc tumulo sanctus pro corpore praesul  
8 praesulis obtineat spiritus astra poli.

21 ALIUD

v.1 Praesul Agennensis, vir canus nomine Simon,  
2 in causis Cicero, moribus ipse Cato,  
3 ad natale solum rediens, ad Biturigenses,  
4 occidit inque sua subtumulatur humo.  
5 Praesulis ossa fovet modo sancta Maria Dolensis  
6 foverat et puerum terra Dolensis eum.

22 IN ROTULO PRO ARCHIEPISCOPO BITURIGENSI

v.1 Cum velut examen rotulorum venerit ad nos  
2 (mortem, non vitam, rotulus mihi nuntiat omnis :  
3 nuntius ergo ferus, qui semper nuntiat illud,  
4 quod semper lacrimis nos impetit atque dolore),  
5 mortem Remensis rotulus dixit Reginaldi ;  
6 durandi siquidem pallentes vidimus artus,  
7 cum nos Arvernibus Urbanus papa vocasset ;  
8 nos Cenomannensis rotulus commovit Hoelis ;  
9 Aurelianensis superest jam charta Johannis.  
10 Si tamen abbates his adnumerare velimus,

11 multos abbates rotularis pagina deflet :  
 12 Pictava Geraldum Cenomannisque Johelum,  
 13 Andegavis vero Natalem deflet obisse.  
 14 Multos praetereo, vel quos incuria tollit,  
 15 vel quos res alias curanti oblivio demit.  
 16 Venit ad extremum rotulus de praesule magno,  
 17 quem mihi praecipui res commendabat amoris.  
 18 Is, quia promeruit, duplici fulgebat honore,  
 19 si pondus geminum geminum dicamus honorem.  
 20 Abbas ipse Dolis, Biturix et episcopus ipse  
 21 sedibus ambabus praeerat, non ambitiose,  
 22 ambarum domuum magis utilitate coactus  
 23 et domini papae sancto moderamine victus.  
 24 Hunc Audebertum validum juvenilibus annis  
 25 effera mors rapuit, quae nulli parcere novit.  
 26 En mihi dat lacrimas rotularis epistola vivas,  
 27 has lacrimas reduces faciet mea questio semper.  
 28 Audeberte, meo nec pectore dimovearis  
 29 nec, si quid valeant, nostris precibus reproberis.  
 30 Vos igitur, fratres, de vobis substituendo  
 31 procurate viro, Biturix urbs grexque Dolensis,  
 32 et pro defunctis offerte precamina nostris.  
 33 Communemque patrem communi tangite voto,  
 34 ut det pastori sedem super aethera vestro.

23

INUECTIO IN ROLLIGERUM

v.1 Obsecro jam parcat tam saepe venire veredus :  
 2 per nimios usus nimium sua verba veremur.  
 3 Vivant praelati, pro quorum morte vagatur.  
 4 Vultur edax corvusque niger volitansque veredus  
 5 necnon bubo canens dirum mortalibus omen  
 6 significant mortes praesaganturque cadaver :  
 7 sic rotulus semper mortem cujuslibet affert.  
 8 Ergo, sit a nostris penitus conventibus exsul,  
 9 qui semper mortem, qui nuntiat anxietatem -  
 10 nam, si saepe venit, nummi mercede carebit.  
 11 En Audebertum dicit mihi nuper obisse  
 12 et mundi solem sub nubem delituisse.  
 13 Quid facies, Biturix, tanto pastore perempto ?  
 14 Quid facies, obito tu grex abbate Dolensis ?  
 15 Arripe lamentum, suffusus fletibus ora.  
 16 Ambo patrono caruistis inaequiperando.  
 17 Me quoque collegam gemitus superesse velitis,  
 18 cujus non sapiet vehemens querimonia finem.  
 19 Participet lacrimis, qui participavit amori :  
 20 consors viventis, consors essem morientis !

24

EPITAPHIUM

v.1 Pro merito vitae duplici donatus honore  
 (lacune)

25 INSCRIPTIONES SUBNOTATIS DEFUNCTIS COMPETENTES

v.1 Splendidus ex atavis, atavorum splendor et ipse,  
2 gente Britannus homo conditur hoc tumulo.  
3 Hic, armis, patria, natis cum matre relictis,  
4 dux modo, continuo de duce fit monachus.  
5 Metropolitanae sedi, quia vixit honeste,  
6 cui Dolus est nomen, praesul hic eligitur,  
7 ut quibus extiterat consul, de consule praesul,  
8 Praesul quam consul consuleret melius.  
9 Ad papam venit ; sacrari poscit ab ipso ;  
10 quod dum differtur, in domino moritur.  
11 Ponitur hic cultor et religionis amator,  
12 quemque dolent Britones, sancta Sophia fovet.  
13 Si quaeras nomen, nomen sibi scito Johannem,  
14 sique diem mortis, da decimam decimi.

26 SUPER GUILLELMUM DE MONTE SORELLI

v.1 Aggregat absque mora non extricabilis hora  
2 servos nobilibus et pueros senibus.  
3 Quodsi nobilitas posset producere vitas,  
4 nobilitante domo non moreretur homo.  
5 Heu, Willelme, satis fuerat tibi nobilitatis !  
6 Attamen a superis nobilis abstraheris.  
7 In modica fossa sunt magni stemmatis ossa,  
8 artus ingenuos haec habet urna tuos.  
9 Si quem laesisti, si quid male promeruisti,  
10 Christus adesto tamen : pace fruaris. Amen.

27 SUPER DOMNUM BEFENGARIUM

v.1 Tota Latinorum facundia marcida floret,  
2 dum Berengario Turoni viguere magistro ;  
3 porro Latinorum facundia florida marcet,  
4 invida sors Turonis ubi tantum lumen ademit.  
5 Clauditur in Jano tibi, doctor, janua vitae,  
6 vel magis in Jano patuit tibi janua vitae.  
7 En tua, magne senex, jacet hoc sub fornice gleba,  
8 ad reditum propriae suspirans condicionis.  
9 Promittatque licet veniam tibi spes meritorum,  
10 hanc tamen acceleret lector pia vota vovendo.

28 DE FRODONE ANDEGAUENSI

v.1 Quod de quadruvio norat trivioque Latinus,  
2 id totum, Frodo, pleniter audieras.

3 Sollers auditor superaras paene Latinos,  
4 cum te morte gravi perculit hora brevis.  
5 Raptus ab Andegavis tumultisque sepultus in Anglis,  
6 Anglos Andegavo pulvere laetificas.  
7 Frodonis cineres, Angli, reverenter habete  
8 ac votis animam laetificate suam.

29 ITEM DE EODEM

v.1 Frodo, quid prodest te nosse profunda librorum,  
2 nocte dieque tuus tritus Aristoteles ?  
3 Fabula Nasonis tibi quid tot adhaesit in annis,  
4 quid tibi nunc Cicero, Statius atque Maro ?  
5 Haec tibi, Frodo, simul spondebant aurea saecula  
6 attamen ista simul abstulit atra dies.  
7 Sacra fames auri te duxit ad Anglica regna :  
8 littera multa lucri spes tibi multa fuit.  
9 Indigetis corpus jubet Anglis flebilis Andus ;  
10 lectores jubeant caelicolis animam.

30 ITEM DE EODEM

v.1 Frodo, labor magnis te vatibus aequiperarat,  
2 quem modo mors umbrae quae ftigit aequiperat.  
3 Exul ab Andegavis peragraras impiger orbem,  
4 litterulas rapiens atque vacans studiis.  
5 Aurea te tandem spes invitavit ad Anglos,  
6 quo te spemque tuam mors inopina tulit.  
7 Frodo, te plangent studiis quicumque vacabunt,  
8 quorum, dum moreris, portio summa ruit.  
9 Mortuus ecce jaces, factus de pulvere pulvis.  
10 Quaeso, propitius sit tibi, Frodo, Deus.

31 SUPER PETRUM DOLENSEM PRIOREM

v.1 Petre, prioratus decoratus honore Dolensis,  
2 providus in factis, ordinis ipse vigor,  
3 postquam pontificem superaras Biturigensem  
4 hunc enitentem dilacerare locum,  
5 pace reformata, re fratrum multiplicata,  
6 tandem praepropera morte gravatus obis.  
7 Mors peperit lacrimas nobis tua perpetuandas,  
8 at specialis amor vota sedula rogat.  
9 Iste lapis Petrum fovet, heu, heu, jam cineratum.  
10 Christe, lapis vivus, tu foveas animam.

32                    ITEM DE EODEM

v.1        Jure priorarat te coetus, Petre, Dolensis :  
2            namque sibi probitas te tua praetulerat.  
3        Praedictum Biturix Richardus ovile fatigans  
4            succubuit victus ex probitate tua.  
5        Emeliorasti subjectos ordine, rebus,  
6            pollens consilio, praeditus eloquio.  
7        Ecce lapis nostrum tegit hic pro corpore Petrum :  
8            tu vero, foveas, omnipotens, animam.

33                    ITEM DE EODEM

v.1        Petre, decanus eras et eras, Petre, jure decanus :  
2            namque, ut debueras, omnibus omnis eras.  
3        Te graviter fratres lugent obiisse Dolenses,  
4            quorum res nimio munieras studio.  
5        Taliter obstiteras Richardo Biturigensi  
6            praesul ut ipse tuo cesserit eloquio.  
7        En, Petre, suffossum tabescens incolis antrum ;  
8            spiritus alta petens incolat astra tuus.

34                    DE CANONICO SINE PROPRIO

v.1        Rainaldus, cleri vernans rosa Pictaviensis,  
2            facundus, verax, religionis amans,  
3        qui promulgavit tibi primus, Pictava tellus,  
4            canonicam quae nil proprietatis habet,  
5        tam bene dispositae consummans tempora vitae,  
6            exanimis tandem subditur huic tumulo.  
7        Cujus spiritui sis mansio, summe sacerdos,  
8            atque sacerdotis, Christe, memento tui.

35                    DE GODEFREDO REMENSI

v.1        Jucundus magnae thesaurus philosophiae  
2            magnaue musa perit, cum Godefredus obit.  
3        Iste decus cleri, sol alter idoneus orbi.  
4            Orbi sufficeret, viveret ipse diu.  
5        Sed mors effrenis super hunc sua frena gravavit  
6            et jubar a superis invida grande tulit.  
7        Remis habet corpus ; animae sit mansio caelum.  
8            Divitibus dives ossibus, urna, vale.

36                    ITEM SUPER EUNDEM

v.1        Orbi deflendus, tamen et specialiter urbi

2 quam Remis dicunt, hic, Godefrede, jaces.  
3 Praecipue lacrimis cleri comitatus opimis,  
4 hic tandem matris redditus es gremio.  
5 Remensis populi clerique lucerna Latini,  
6 omnibus extorques, dum moreris, lacrimas.  
7 Gallia te tanto complexabatur amore  
8 ut doleat se non occubuisse simul.  
9 Nunc igitur pedibus quibus ire licet gemebunde  
10 te comitatur adhuc planctibus et precibus.

37 ITEM DE EODEM

v.1 Quem tegit iste lapis non Tullius aequiperaret,  
2 si tamen ejusdem temporis ambo forent.  
3 Hunc etenim vatem sapientia tanta repleat  
4 ut bene Romuleis antefuisse putes.  
5 Denique, tantus erat quantos vulgata per orbem  
6 fama volans fecit quoslibet esse viros.  
7 Mortis livor edax hunc, pro dolor, abstulit orbi.  
8 Heu, scrobe sub modica nunc, Godefrede, jaces.  
9 Divinos cineres genitrix sua Remis habeto ;  
10 tu quoque, Christe, suae mansio sis animae.

38 ITEM DE EODEM

v.1 Quae natura potens vix omnia contulit ulli  
2 omnia contulerat haec, Godefrede, tibi :  
3 formam, divitias, mores, monimenta nepotum,  
4 discretum pectus, ingenium locuples,  
5 os par ingenio, studii florentis amorem.  
6 Nec tamen ista tibi cuncta tulere mori :  
7 egregios artus en parvula continet urna.  
8 Remis te genuit, te quoque Remis habet.  
9 Urbs, venerare tuum felici pulvere felix ;  
10 cives concivem caelicolae foveant.

39 ITEM DE EODEM

v.1 Hos apices donec oblitteret ipsa vetustas  
2 aut inimica manus, celebri relegetur honore  
3 ille Godefredus, quem lucida musa secundum  
4 Nasoni peperit, quem littera multa replevit.  
5 Ecce perennis adhuc Godefredum fama perennat  
6 atque perennabit, dum fama volare valebit.  
7 Remis eum genuit et Remis eum sepelivit.  
8 Terra colit terram, sed spiritus incolat astra.

v.1 Fletus innumeros cum mors ingesserit orbi,  
2 fletus majores ingerit ipsa modo.  
3 Alexander enim, juvenum specialis honestas,  
4 intempestiva morte gravatus obit.  
5 Nondum bis denos adolescens vixerat annos,  
6 cum rosa formosa marcuit a quod erat.  
7 Canonicus Turonensis erat puer indolis altae ;  
8 flos olim roseus nunc cinis est luteus.  
9 Sique sibi maculas species attraxit et aetas,  
10 tu tamen indulge, rex utriusque dator.

41 SUPER EUNDEM

v.1 Cum titulos multis dederit mea cura sepulchris,  
2 nullum flebilius quam dedit hunc titulum.  
3 Alexander enim, luctus generaliter orbi  
4 praecipueque suis, flos juvenum, jacet hic,  
5 cujus plus juvenum cedebat forma decori  
6 quam saliuca rosae, quam cytisus violae.  
7 Tandem defuncti sic marcida colla videres  
8 tamquam stirpitibus lilia trunca suis.  
9 Hunc plorat clerus Turonensis, plorat et omnis  
10 aetati quisquis compatitur tenerae.

42 ITEM DE EODEM

v.1 Quicquid majoris potuit natura decoris,  
2 illud Alexandro contulerat pariter.  
3 Contuleritque licet quaecumque decora putantur,  
4 mortuus attamen est ; ecce cinis jacet hic.  
5 Supra quindenos vix quattuor attigit annos,  
6 illi cum pariter omnia mors rapuit.  
7 En fetet vilis speciosae gloria carnis ;  
8 at, Deus, indulge quod male promeruit.

43 ITEM DE EODEM

v.1 Qui properus properas praesentis ad atria templi,  
2 sta, si nosse cupis quem tegit iste lapis.  
3 Hic Alexandri cujusdam gleba quiescit,  
4 quem mundo species unica praetulerat.  
5 Hic, inter juvenes quasi conspectissima stella,  
6 gratus erat clero, gratus erat populo.  
7 Hic, cum bis denis vel circiter esset in annis,  
8 tactus sole gravi flos tener occubuit.  
9 Qui legis hos apices, si compateris cinerato,  
10 dic orans : "Tenero parce, Deus, puero".



44 SUPER GUILLELMUM ENGOLISMENSEM EPISCOPUM

v.1 Nobile nobilium specimen, Guilelme, decusque,  
 2 pro dolor, hic propera cineratus morte quiescis.  
 3 Ordine praesul eras, atavorum sanguine consul,  
 4 providus in factis, nulli sermone secundus,  
 5 Engolisma, dole tanto viduata patrono ;  
 6 langues ecce tui moderamine praesulis orba.  
 7 Interitum timeas : dempto medicamine, langues ;  
 8 huic siquidem nullum non nescis aequiperandum.  
 9 Urbs tamen infelix, artus venerare paternos,  
 10 dic quoque : "Transcendat Guillelmi spiritus astra".

45 SUPER ERILANDUM

v.1 Littera quem dives magnum jubar extulit orbi,  
 2 orbi deflendus, hic, Erilande, jaces.  
 3 Magne senex, lingua pariter jucundus et actu,  
 4 sufficeres orbi, si diuturnus eras.  
 5 Nec mors nec senium quemquam nocuisset, ut ipse  
 6 nescisses mortem taliter aut senium.  
 7 Sed quoniam commune mori est et labitur aetas,  
 8 parcatur lacrimis sitque locus precibus.  
 9 Dum te terra fovet, tua molliter ossa quiescant ;  
 10 sit quoque cum Christo pars, Erilande, tibi.

46 VT SUPRA SUPER PETRUM PRIOREM

v.1 Mors velut effrenis ruptis bacchatur habenis :  
 2 tollit enim juvenes, tollit et ipsa senes.  
 3 Sed, quicquid tulerit, quaecumque nefanda patrarit,  
 4 est, feriendo Petrum, grandius ausa nefas.  
 5 Iste quidem Petrus et coenobita Dolensis  
 6 ejusdemque domus ipse decanus erat,  
 7 qui prudenter agens domui sic praefuit illi  
 8 defuncto ut vivas vivus agat lacrimas.  
 9 Hic modo, Petre, jaces, si sint Petrus ossa cinisque  
 10 mansio spiritui sit domus ampla Dei.

47 SUPER GERALDUM AURELIANENSEM

v.1 Egregius doctor magnusque sophista, Geraldus,  
 2 Ecclesiae robur, cleri populique columna,  
 3 spes pupillorum, vir munificus viduarum,  
 4 Aurelianorum lux et specialis honestas,  
 5 vir cani capitis morum moderamine pollens,  
 6 cui nihil a sensu tulit antiquata senectus,  
 7 tandem communis contactus imagine mortis,

8 exuit hoc quod erat : datur hic sua portio terrae.  
9 Spiritus in tenues vivens elabitur auras.  
10 Cui tamen e rebus lutulentis si quid inhaesit,  
11 expiet id totum clemens miseratio Christi.  
12 His precibus, lector, "amen" adjiciendo faveto.

48 SUPER ODONEM ABBATEM ENGERIACENSEM

v.1 Qui properus transis hujus monumenta sepulchri,  
2 ut relegas titulum, comprime, quaeso, gradum.  
3 Hic jacet abbatum decus et specialis honestas,  
4 pauperibus saties, indigus Odo sibi,  
5 qui pietatis amans, monachorum forma, decenter  
6 Ingeriacensi profuit ecclesiae.  
7 Tandem pace bona sopitus morte quievit,  
8 Ecclesiae robur, ordinis Odo vigor.  
9 Qui legis haec, duo fac : Odoni fac pia vota  
10 deque metu mortis sollicitare tibi.

49 SUPER RADULFUM PICTAVIENSEM ARCHIDIACONUM

v.1 Archidiaconii perfunctus honore decenter,  
2 consilium plebis, lux cleri Pictaviensis,  
3 quem satis egregiae ditarat summa sophiae,  
4 Radulfus jacet hic, factus de pulvere pulvis.  
5 Pictavis urbs, luge, tanto viduata ministro,  
6 tunde dolens pectus, laceros tibi diripe crines,  
7 dum modo persona careas huic aequiperanda,  
8 nec tamen in lacrimis umquam tua vota coerce  
9 spiritus ut veniam Radulfi promereatur.  
10 Id puer idque senex lector quoque poscat idipsum.

50 SUPER PRESULEM <DURANDUM>

v.1 Nomine Durandus praesul jacet hic venerandus,  
2 quem commendavit vita benigna Deo.  
3 Exsequias celebres, quae forma fuere triumphii,  
4 dispensavit ei gratia summa Dei.  
5 Urbanus synodo generali papa vocata  
6 patres bis centum movit ad obsequium.  
7 Tertia quae decimam lucem praeit ante Decembrem  
8 vitae praesentis lumen ademit ei.  
9 Arvernus, sanctos cineres reverenter habeto  
10 atque patrocini tutior esto suo.

51 SUPER EUNDEM DURANDUM

v.1 Temporibus luteis vir magnae strenuitatis

2 aurea Durandus saecula restituit.  
3 Arvernus praesul dignissima praesule fecit,  
4 fecit digna Deo religiosus homo.  
5 Ipsius exsequias dicas similasse triumphum  
6 et dispensantis signa fuisse Dei.  
7 Affuit Urbanus centeno praesule saeptus ;  
8 abbatum vero major erat numerus.  
9 Tertia cum decima tunc lugubris ante Decembrem,  
10 in reditu luctus est modo festa dies.

52 SUPER COMITEM PICTAUIENSEM

v.1 Gloria si mundi pareret monimenta fideli,  
2 nulli commodius quam tibi, dux, pareret.  
3 Vir generosus eras, decus orbi, dux Aquitanis,  
4 hosti terribilis, ipse pater patriae.  
5 Sed tibi sit titulus, Guillelme, tuumque sciatur  
6 istius ecclesiae, qua sepeliris, opus.

53 SUPER MILITEM IUUENEM

v.1 Nulli Goffredus genio formave secundus  
2 intempestiva sopitus morte quiescit.  
3 Plus animo validus quam possent membra tenella  
4 militis, ante dies assumpsit militis arma.  
5 Militis arma gerens neque passus militis arma,  
6 dormiit in Christo puer altae nobilitatis.  
7 Non quindennis erat, sed erat, quindennis ut esset,  
8 si ter quinque dies sibi vivere plus licuisset.  
9 In Maio, vernante rosa, rosa marcuit ista :  
10 quinta dies a fine diem sibi clausit et annos.  
11 Hunc commendatum sibi continet hoc monumentum  
12 Goffredusque suis lacrimabile sit monimentum.

54 SUPER QUEM JACET (...)

v.1 [Lacune]  
2 [Lacune]

55 SUPER ELPEM COMITISSAM

v.1 Non dempsit metas tibi mortis forma vel aetas  
2 vel proavi reges, quae sic tibi fata locarant,  
3 Elpes, ut neutrum reginam dedecuisset.

56 SUPER BURCARDUM BONUM MILITEM

v.1 Si centum linguas pro te, Burcharde, moverem,  
 2 non possem laudes aequiperare tuas :  
 3 Nam tibi nullius virtus erit aequiperanda,  
 4 quantoscumque tamen carmina magnificent.  
 5 Tu Taurinenses solus sic edomuisti  
 6 ut te crediderint mille fuisse viros.  
 7 Agnetis viduae tutor domitorque reorum,  
 8 Corruis uxoris ultor adulterii.  
 9 Quod genuit Turonus, hic pausat nobile corpus ;  
 10 spiritui vero sit domus in domino.

57 ITERUM SUPER EUNDEM

v.1 Si quis Achilleos mirando recenseat actus,  
 2 actus Burchardi pluris habens recolat.  
 3 Corporis aut animi nulli virtute secundus,  
 4 viveret ipse diu, Julius alter erat.  
 5 Dimisit Turonos qui mente subegerat orbem  
 6 (LACUNE)  
 7 quam labor infestus militiae noceat.

58 ITEM DE EODEM

v.1 Quicquid multarum natura potens probitatum  
 2 divisit multis constituendo probos,  
 3 id, Burcharde, tibi dederat bene prodiga totum,  
 4 heroas in te quosque simul replicans.  
 5 Quicquid sunt alii sortiti particulatim,  
 6 tu totum solus pleniter assequeris.  
 7 Providus in verbis, robustus et acer in armis,  
 8 causidicus Cicero, belliger Hector eras.  
 9 At dum pro parvo Turonis ducis dominatum,  
 10 ad Langobardos fulmineus properas ;  
 11 quam gentem verbis tibi dum subjungis et armis,  
 12 gentis et uxoris proditione cadis.  
 13 Ecce nihil de te superest nisi pulvis et ossa.  
 14 Pax tibi ! Bella quidem causa fuere necis.

59 SUPER RAHERIUM AUDACISSIMUM

v.1 Inscribi tumulis heroum facta solebant,  
 2 ut quanti fuerant posteritas legeret.  
 3 Sed tua deberent speciali facta, Raheri,  
 4 inscribi calamo - nam specialis eras.  
 5 Nam natura tibi nullum sic aequiperarat  
 6 omnibus ut solus praefueris ducibus.  
 7 Insidiosa latus tibi lancea fodit utrumque,  
 8 militibus tutor dum cupis esse tuis.

9 Felix urna, fove qui vastum terruit orbem,  
10 nec sit ei terror corporis aut animae.

60 SUPER EUNDEM

v.1 Alite fisis equo properus dum fulminat hostes,  
2 se scutum praebens auxiliare suis,  
3 Raherius cecidit, quo non audacior ullus,  
4 hostili telo fixus utrumque latus.  
5 Emisit flatum subito cum sanguine mixtum,  
6 exemplum factus lugubre militibus.  
7 Militiae graviter stipendia saeva redemit,  
8 propter quam corpus contulit atque animam.  
9 Quodsi sponsa Dei sponso pro talibus audet,  
10 et pro Raherio supplicet ipsa Deo.

61 SICUT SUPRA

v.1 Raherius, miles fortis velut alter Achilles,  
2 dispar in nullo laudibus Hectoreis,  
3 quem natura potens toto decorarat in orbe  
4 militiae titulis et probitate sua,  
5 militis unius, heu, mortuus occidit ictu,  
6 tam grave mercatus militiae reditus.  
7 Militibus superest pro tanto milite planctus ;  
8 o utinam lacrimae proficiant animae !  
9 Magnanimum modicae corpus committitur urnae ;  
10 spiritus inveniat quam meruit melius.

62 ITEM SUPER EUNDEM

v.1 Robustum pectus flavusque per ora capillus  
2 et gena pubescens, rarus et annus adhuc  
3 vivendi leviter tibi causa fuere, Raheri,  
4 vivendique diu spem tibi contulerant.  
5 Nulli contulerat potius natura cor audax  
6 atque manum validam quam tibi contulerat.  
7 Militis unius totum simul abstulit ictus,  
8 quippe coegit te morte mori subita.  
9 In modico tandem pulvis modo clauderis antro ;  
10 notus namque Deo nunc locus est animae.  
11 Quodsi vota fides audax pro talibus offert,  
12 offerat et pro te vota benigna fides.

63 AD SCUTUM EIUSDEM

v.1 A domino viduata tuo jam, parma, quiesce,  
2 cui par Raherio nullus erit dominus.

3 Vive, dies festos longum visura per aevum,  
4 nam metuenda quidem lancea nulla tibi.  
5 Nam si Raherius vel par sibi viveret ullus,  
6 non deberentur otia tanta tibi.  
7 Mors ejus requiem, faceret tibi vita laborem,  
8 sed labor ille tibi dignus honore foret.  
9 Posterior numquam, prior ires semper in hostem,  
10 cedere nec scires, anxia nec fugeres.  
11 Qui te conspicient, pro tanto milite plorent,  
12 tuque diu valeas, in titulo posita.

64 SUPER QUEM EUENERIT

v.1 Qui supra vestros legitis lamenta sepultos  
2 quique minora premi casu lugere soletis,  
3 et mihi dilapso fletus infundite vestros :  
4 consul eram magnus, patriae pater, hostibus hostis,  
5 nomine Guillelmus, vitae status omnibus omnis.  
6 At nunc extrema ceu singula sorte potitus,  
7 occubui non lege mea, sed lege jubentis,  
8 omnia cujus lex aliud demutat in esse.  
9 Hei mihi ! nunc, lector, nil plus de consule restat  
10 quam quod ego feci, tua vota quod emeliorerent.  
11 Hoc nunc inclusus sub fornice, lege sepultus  
12 qua sepelitur homo, communi lege resurgam.

65 SUPER OSANNAM

v.1 Lector, quid fuerim, quid sim, si forte requiris,  
2 nata puella fui ; sum modo facta cinis.  
3 Conjugio favi tantummodo prolis amore.  
4 Occubui decimum dum parerem puerum.  
5 Nec puer antiquo nascendi nascitur usu :  
6 caesa matre quidem filius extrahitur.  
7 Causaque nubendi mihi causa fuit moriendi.  
8 Consulis uxor ego, nomen Osanna mihi.  
9 Sed quid honor, quid opes, quid prolis copia prodest ?  
10 Christe, mihi prosis ; tu mihi mansio sis.

66 SUPER GUIDONEM

v.1 Exul ab urbe mea, dum me velut effugientes  
2 insequor ipse libros dumque vaco studiis,  
3 pro dolor, incubuit mihi lamentabilis hora,  
4 quippe supervenit mors inopina mihi.  
5 Ecce sub hoc tumulo cineratus corpore pauso ;  
6 spiritus obtineat quam meruit melius.  
7 Me tamen et fidei tenor et confessio culpae  
8 quandoque securum de venia faciunt.  
9 Quod tamen exspecto, poterit mihi turba legentum

10 et votiva simul praeproperare cohors.  
11 Civis eram Turonensis ego de nomine Guido,  
12 gentis patriciae. Me modo Remis habet.

67 SUPER IOHANNEM

v.1 Intempestiva moritur dum morte Johannes,  
2 a mortis saevo solvitur imperio :  
3 nam potius vivit, qui sic obiisse videtur ;  
4 nulla voluptatis techna cohaesit ei.  
5 Aetas ipsius vix annum dimidiarat ;  
6 ipsa dies lavacri mortis et ipsa fuit.  
7 Profuit ergo sibi tantummodo gratia Christi,  
8 quae tamen et juste praevenit immeritos.  
9 Ergo, laetandum satis est in morte Johannis,  
10 qui nullis moriens indiguit precibus.

68 SUPER ODONEM PUERUM

v.1 Urna brevis modicusque lapis superadditus urnae  
2 signant materiam quod foveant modicam.  
3 Quod premit iste lapis pueri sunt ossa tenelli,  
4 si tamen una satis duruit ossa dies.  
5 Paene fuit natus puer hic simul atque renatus ;  
6 vivere vix potuit moxque mori meruit.  
7 Quod tamen imposuit nomen properantia mortis  
8 his pateat signis : Otto puer jacet hic.

69 SUPER BURCARDUM ITERUM

v.1 Romuleos Turonus licet exsuperaverit actus  
2 militiae titulis et probitate sua,  
3 tu, Burcharde, tamen Turonenses exsuperabas  
4 militiae titulis et probitate tua.  
5 At Langobardae dum tandem proditioni  
6 occurris vindex persequerisque reos,  
7 hostibus atque reis te prodit adultera conjunx  
8 sicque cadis modico vulnere magnus homo.  
9 Corpus magnanimum modo contegit hoc monumentum ;  
10 spiritui vero parce, benigne Deus.

70 SUPER TROILUM

v.1 Nulla fit immunis aetas a vulnere mortis.  
2 Hic jaceo juvenis Troilus exanimis.

71 SUPER RAINALDUM REMENSEM ARCHIEPISCOPUM

v.1 Remensi populo lumen firmamque columnam  
2 Rainaldum Christi gratia contulerat.  
3 Hic quoque Martini sublatus ab aede beati  
4 Remensi multum profuit ecclesiae.  
5 Hunc mors in tanto florentem pontificatu  
6 attigit et vacuam fecit item cathedram.  
7 Pupilli cives pro tanto praesule flentes  
8 corpus pontificis hic posuere sui.  
9 Hic populus glebae dignos dispensat honores ;  
10 dispenset veniam cunctipotens animae.  
11 Hunc duodena dies Februi praeuendo kalendas  
12 destituit mundo substituitque polo.

72 IN ROTULA DE GUILLELMO ABBATE

v.1 Guillelmus quoniam verum properavit ad esse  
2 (ad non esse licet sit visus primitus isse),  
3 si tamen et properans properavit tramite recto,  
4 omnibus ecclesiae gaudendum censet amicis ;  
5 si vero laesit properantem quilibet error,  
6 poscat ei veniam pia fratrum sollicitudo,  
7 quae votiva Deum supplex et sedula pulset.  
8 Diximus ergo sibi : "Guillelmo parce, redemptor  
9 ut nostris itidem concedat, dicite nobis,  
10 ut procul absentes oratio mutua jungat.

73 IN ROTULA DE ADAM ABBATE

v.1 Haec desolatis solacia Burguliani :  
2 profluit ex Adam quod vester pertulit Adam.  
3 Sed quasi pro nihilo fieret de morte querela,  
4 praesertim cum sit mors Christi nostra medela :  
5 nec deerit medicus, nisi desit cui medeatur.  
6 O felix morbus, mors Christi cui medicatur !  
7 Vos quoque luxistis, quia patre bono caruistis ;  
8 nimirum, patri plus quam vobis doluistis,  
9 nec mirum lacrimas extorsit viscus amoris.  
10 Sed cadat iste dolor : Deus est medicina doloris.  
11 Patri consulite pia pro patre vota vovendo  
12 necnon et vobis jam de patre substituendo.

74 DE MAGISTRO SUO PLANCTUS

v.1 Doctorum speculum, doctor amande,  
2 majorum titulis aequiperande,  
3 o Huberte tuis vir venerande,  
4 immolo perpetuas exsequiis lacrimas.  
5 Mors tua dura mihi !



6 Ablato mihi te, quae mihi gaudia ?  
7 Gaudendi subiit deficientia ;  
8 lugendi datur, heu ! Pessima copia  
9 et perpes querimonia.  
10 Vae mea vita mihi !  
11 Hubertus, patriae cura paterna,  
12 Magduni cecidit clara lucerna ;  
13 ex quo maesta mihi lux hodierna.  
14 Vix aliquando scio quid faciens facio.  
15 Mors tua dura mihi !  
16 Urit nostra dolor corda medullitus,  
17 vix rarus recreat viscera spiritus :  
18 Huberti gemitus causa fit exitus,  
19 hinc est creber anhelitus.  
20 Vae mea vita mihi !  
21 Quo nos alter ego, sed magis idem,  
22 hoc univit amor foedere pridem,  
23 nec sorti modo mors subdit eidem.  
24 Esset obisse mihi gloria teque frui.  
25 Mors tua dura mihi !  
26 Ex quo cum lacrimis plus ego lugeo,  
27 hinc plus ipse - quod est res nova - gaudeo ;  
28 quanto displicuit res lacrimarum,  
29 tanto triste placet pondus earum.  
30 Displicet atque placet illud : utrumque placet.  
31 Vae mea vita mihi !  
32 Singultus peperit carmina lubrica ;  
33 haud arcent elegos claustra poetica.  
34 Te, doctor, replicat nostra querela :  
35 hunc morbum leuiat nulla medela.  
36 Mors mihi te, tibi me compositura placet.  
37 Mors, rogo, sera, veni.

75 DE GERARDO LAUSDUNIS SURREPTO

v.1 Tantum Gerardus Lausduni laudibus auxit -  
2 quod dignum magnis laudibus Andus habet  
3 quantum doctrinis Ciceroque Maroque latinis :  
4 nam nobis alter fulsit Aristoteles.  
5 Lux et laus cleri, sol qui suffecerit orbi,  
6 orbi quadrivium protulit et trivium.  
7 At fortunatus fuit abbas Burgulianus,  
8 qui sibi Gerardum vendicat in proprium.  
9 Lausdunis obiit, sed vivit Burgulianis ;  
10 utque diu vivat, jam redimunt precibus.  
11 Hunc igitur terrae speciali mandet honore,  
12 quisquis defuncto corpore dives erit.

76 ITEM DE EODEM

v.1 Uberibus, Manegaude, tuis lactatus abunde,  
2 tempore posterior, paene legendo prior,

3       aque tuis sinibus abstractus venit ad Andos  
4       ardua Gerardus planaue dicta gerens.  
5       Laude sua laudes Lausduni multiplicavit,  
6       artes exponens commoditate levi.  
7       Hunc quoque Lausdunis invidit Burguliensis  
8       et quibus invidit blandiloquus rapuit.  
9       Jam nunc Gerardus pauset cum Burguliensi,  
10       donec mandetur alteruter tumulo.  
11       O utinam neque mors neque casus separet ipsos !  
12       Donec nigrescat primitus albus olor  
13       et donec pennis corvus niger evolet albis,  
14       Lausdunum refluxus donec eat Ligeris  
15       et donec querulae sileant valeantque cicadae,  
16       et noceat senium sive dolor neutrum !

77       AD EUNDEM UT MONACHUS FIAT

v.1       Ut de turbinibus mundanis pauca loquamur,  
2       afficitur multo languescens turbine mundus.  
3       Semen commissum vix culta novalia reddunt,  
4       vineae vix uvas, vix fructus educat arbor.  
5       Tempora mutantur, quasi cursum nesciat annus :  
6       frigora nescit hiems, hiemis ver frigora sentit,  
7       Veris temperiem pluviasque recolligit aestas,  
8       torrens autumnus maturas decoquit uvas.  
9       Conqueritur sterile piscator luridus amnes,  
10       incassum silvas venator lustrat opacas,  
11       vix est quod catulus discernere possit odor.  
12       Omnibus his olim ditatus floruit orbis,  
13       florueritque licet ditatus talibus olim,  
14       tunc tamen orbis erat spernendus flore sub ipso,  
15       nam deceptivus est, omnis flos fugitivus.  
16       At modo, quandoquidem nos praesens omne molestat  
17       - nam rerum forma transit velocior umbra  
18       et modo non est flos nec saltim floris imago - ,  
19       ut saltim fructum mereatur grata voluntas,  
20       sponte relinquamus quicquid retinere nequimus ;  
21       nil habeamus nos, sed dedignemur habere,  
22       immo relinquamus quae nos fugitiva relinquunt,  
23       quae nos irritant irritatosque refutant,  
24       quae magis insultant cum vadunt non reditura.  
25       Qualiter ad terram cum se ultro destinat ales  
26       quae volitat laesis primum velut anxia pennis,  
27       at, postquam juvenum premitur cursante caterva,  
28       quam mox quisque manu comprehendere sperat avara,  
29       evolat itque levis tenues elapsa sub auras,  
30       sic prius arrident rerum primordia nobis,  
31       at velut evadunt, ea cum gustare sitimus ;  
32       tunc desiderio nolunt alludere nostro,  
33       ambitione sui tunc marcida corda supinant.  
34       Ergo nullius fidei res aufugiamus  
35       at, licet obtulerint se nobis, rejiciamus.  
36       Nam quid honor, quid opes, quid regum purpura prodest ?  
37       Omnia praetereunt, opulentia, gloria, regnum.

38 Rex moritur, vir dives eget, mutantur honores,  
39 nemo divitias sibi praeparat absque labore  
40 nec retinere valet sine qualibet anxietate.  
41 Rex sibi non vivit, quem lingua redarguit omnis,  
42 quem comedunt curae, quem sollicitudo perurit,  
43 cui somnos adimunt privata negotia rerum.  
44 Ergo nec dives nec princeps esse labores  
45 quisquis privatae vis prospectare quieti.  
46 Sed mea fortassis modulamina negligit aspis,  
47 aures obturat incantantique resultat.  
48 Ambit egenus opes, homo degener ambit honores.  
49 Ambiat, attingat, tamen imprecor hoc inimicis ;  
50 haec nunquam nostrum vecordia tangat amicum.  
51 Nam potius coeat res ipsius atque voluntas ;  
52 nil habeat, nil possideat, nil obstet habere,  
53 vix habeat victum, vix inveniat tegumentum ;  
54 suggerat ista fides, non praemeditatio sollers.  
55 Nil laudabilius, nil est securius umquam  
56 quam non amplecti quod adeptum perdere possis  
57 absque gravi luctu nulli tolluntur adepta.  
58 Est tolerabilius nos quaedam non habuisse  
59 quam pro possessis, dum sint ablata, dolere.  
60 Absque dolore gravi carni non demitur unguis,  
61 nec dens gingivis, nec os ossi, nec caro carni,  
62 si sint ista sua compagine consolidata ;  
63 et qui conexis mundo radicibus haerent  
64 rebus mundanis non absque dolore carebunt.  
65 Divitiae tibi sint sine sollicitudine grandi,  
66 quas sibi jamdudum proavorum cura pararit.  
67 Regum sis heres, notusque ad sidera princeps,  
68 ecce labor restat ne perdas jura paterna ;  
69 dedecus est majus si perdas jus atavorum  
70 quam si perdidideris quae providus ipse pararis,  
71 aut gravior res est te sustinuisse labores  
72 te neque posse tuis in pace laboribus uti ?  
73 Denique vita brevis, hominum properata senectus,  
74 morborum cunei nolentibus omnia tollent.  
75 Si desint hostes, mors omnibus invida praesto est.  
76 Instabilis mundus stabiles nos non sinit esse.  
77 Qui vero cami concordant illecebrosae,  
78 deliciisque volunt carnalibus exsaturari,  
79 turpe nefas videant quam turpis poena sequatur,  
80 nam consummat opus pollutio foetida foedum ;  
81 peccatum restat meta pollutius ipsa.  
82 Sed quid amant homines ? Fortassis amant mulieres.  
83 Esto : superficies pulchrae mulieris ametur,  
84 interius vero, si vis, introspecte quae sit :  
85 pulcher saccus erit, distentus stercore multo.  
86 Ergo cutis nivea, rubicunda, tenella placebit,  
87 sed talem subito sulcabit ruga senilis,  
88 inficiet pallor nineam, teneram, rubicundam.  
89 Si pariat, pudor est parienti quisquis adhaeret  
90 et nihil est aliud nisi concuba jure vocetur.  
91 Nutricem foveat, nutricis lac bibiturus  
92 et successivo pro foetu sollicitandus.  
93 Idcirco est penitus mulieris amor removendus.

94 Non naturalem forsā tibi jungis amorem :  
95 per multas aedes discurrit adhuc Ganymedes,  
96 multus homo lascivus adhuc vult Juppiter esse.  
97 Cum Ganymede suo requiescit Juppiter alter,  
98 ecce sibi sperat audere licentius ista,  
99 haec indulgeri sibi vult commercia carnis.  
100 Sed mihi grande malum scelus hoc si dissimulabo,  
101 si non objurgans rem subprimo flagitiosam.  
102 Hoc scelus est majus, natura quidem violatur,  
103 quam si luxuriam peragat cum pelice multa.  
104 Hic solus paedor, ut credo, sidera tangit,  
105 delevit scelus hoc persaepeius Omnicreator.  
106 Sed quid in illicito vir delectatur amore ?  
107 Quid sibi complacuit ut pauset cum Ganymede ?  
108 A meritrice vacat, faciens hominem meretricem ?  
109 Sunt invectivo feriendi fuste cinaedi,  
110 objurget cynicos turpes invectio turpis.  
111 Implumes malae forsā sibi complacere ;  
112 cum malis plumas induxerit annus et annus,  
113 cum barbatus erit, cum fiet saetiger hircus,  
114 vepribus et spinis cutis asperior fruticabit,  
115 tunc miser amissi damnum lugebit amoris.  
116 Sed quid aget cum jam defecerit iste juvenus ?  
117 Mutuat et mutat, quia displicet ursa pilosa.  
118 Sed nec amor bonus est quem sic mutare necesse est.  
119 At quid jumentis superimminet impudibundis ?  
120 Caenosus paedor, ignisque et sulphuris ardor,  
121 poena gehennalis, nimis horrida, nescia finis.  
122 Ista cani rabido persolvēt lucra libido ;  
123 poena voluptatis condigna piacula sentit,  
124 sustinet aeternas poenas aeterna voluntas.  
125 Ergo vir illicito nullus succumbat amori,  
126 nemo puellarum petat usum vel puerorum.  
127 Donec non morimur, dum vivimus atque movemur  
128 estne genus vitae quid possit jure placere ?  
129 Est mihi quod placeat, quod caris consulo nostris :  
130 paupertas secunda placet castumque cubile,  
131 mundi contemptus, disciplinata voluntas.  
132 Attamen est aliud quod me modo sollicitavit :  
133 nosse velim nostros et me secreta librorum,  
134 ut distinguamus sensus ad sobrietatem  
135 plusque mihi placeat per me sententia nota,  
136 lecta vel inventa quam lingua redempta magistri.  
137 Vendit venalis venalia verba magister,  
138 strenuus auditor dependet ab ore loquentis  
139 et cohibere parat volitantia verba docentis ;  
140 at dormitanti si quidlibet excidit auri  
141 aut retinere nequit simul omnia corde sagaci,  
142 instat, adulatur, mordens unguis stipulatur ;  
143 taedia causatur, causatur et improbitatem  
144 doctor discipuli, durumque hebetemque lacescit.  
145 Sicque bis emissum, bis vendit mobile verbum ;  
146 evomit et vendit ventum, ventosa cicada.  
147 Ergo quis duros poterit perferre magistros ?  
148 Aurem non replent, donec repleveris arcam.  
149 Justius est igitur nos jam nescire docentes

150 grande supercilium quam sustineamus eorum,  
151 praesertim libri cum possent esse magistri,  
152 nos nisi detineat feriandi grata voluptas.  
153 Si quis enim totus cum codice saepe loquetur,  
154 fiet philosophus, cum codice saepe loquutus.  
155 Sedulitate sua cavat imber ferrea saxa ;  
156 lector hebes fiet persaepe legendo magister.  
157 Sed libri desunt fortassis et otia desunt ?  
158 Ipse locum novi qui floridus otia gignit,  
159 libros et cartas et cuncta studentibus apta.  
160 Burgulius locus est et Cambio dicitur amnis,  
161 flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos ;  
162 hocque loco locus est, a turbis paene remotus,  
163 qui tutat fratres a sollicitudine mundi  
164 et fovet in gremio diuturnae pacis alumnos.  
165 Prata virent juxta, quibus est contermina silva.  
166 Hunc emat, hunc redimat quisquis probus esse laborat.  
167 Ipse locus meus est ; aliis trado, tibi vendo ;  
168 ad me si venias mecumque, Gerarde, quiescas,  
169 te mihi da pretium, nil carius exigo quam te  
170 emistique locum si tradideris pretium te.  
171 Littera quam queris vastum dispersa per orbem  
172 optat te, nostri complens armaria claustrum.  
173 Huc ades, o sanctae complectens otia vitae,  
174 huc ades ut videas, ut tu mediteris, ut ores,  
175 huc ades ut multis sis strenua forma salutis.  
176 Sol sub nube latens, sub mundi fasce Gerardus,  
177 sub modio lucet vel pallet clara lucerna ?  
178 Cum quatitur mundi vertigine luna latina,  
179 praebe discipulis exempla sequenda magister.  
180 Sis mecum pauper, immo cum paupere Christo,  
181 cum Christo vives, cum Christo divite dives.  
182 Non mihi "cras" dicas, hodie potes estque malum cras  
183 pagina gentilis, tua pagina cui modo servis,  
184 ipsa tibi dicit : "Nocuit differre paratis",  
185 ipsa tibi dicit : "Nocuit dilatio multis".  
186 "Nil habeas, sed possideas simul omnia dives",  
187 dissere cum Paulo : non sunt mea, sed sua verba.  
188 Cor pectusque tuum transfigant spicula Pauli ;  
189 subdite mundanis jam dedignare procellis ;  
190 ut tremat, ut timeat te mundus, negligere mundum.  
191 Si mihi credideris, et certe credere debes,  
192 post cras, immo cras, quantocius anticipabis ;  
193 anticipa portum, fuge, navis naufraga, pontum.  
194 Andreas dominae praebeat vestigia Maurae,  
195 ducat ad ecclesiam. Quid enim ? Praecedere, sequetur.  
196 Interea viduam sustentet, subcomitetur ;  
197 ut nobis ipsum se reddat, reddat et ipsam,  
198 ille regat viduam cum Paulo, cum Timotheo,  
199 ad monachum donec conversio tollat utrumque.  
200 Sic mihi responde, mihi sic rescribe, Gerarde,  
201 quatenus optatum tua dent rescripta saporem.  
202 Nec tibi nec fratri nec amicis ipse deessem  
203 susciperemque omnes qua condicione juberis,  
204 carminibus nostris si facta per ipsa faveres.  
205 Ut valeas ergo, quod mando, quod opto valet.

v.1 Veris adest tempus, quod amat lasciva juvenus,  
 2 quae viciat teneros temperies animos.  
 3 Humida prata virent, humus albicat, arbuta florent  
 4 et vernant passim floribus arva suis.  
 5 Gnaviter ergo meum muniri pectus oportet,  
 6 ne male pro vernis obruar illecebris.

v.1 Cum pro defunctis soleant orare fideles  
 2 proque sibi caris perpetuent lacrimas,  
 3 pro patre Geraldo nihil est utriusque necesse,  
 4 qui caeli civis incola vixit humi.  
 5 Silvam majorem monachis dominoque dicavit,  
 6 exul sponte sua finibus a patriis.  
 7 Francia natalis sibi sorduit hancque reliquit,  
 8 silvestres saltus Burdegalae veniens.  
 9 Pullulat ecce polo silvestris terra colonos,  
 10 quae per Geraldum floruit agricolam.  
 11 En felix anima caeli laetatur in aula ;  
 12 artus hic positi laetificent populos.

v.1 Silvae majoris jacet hic sanctissimus abbas,  
 2 abbatum splendor et monachale decus.  
 3 Hic silvas coluit Christoque novalia fecit,  
 4 ut salionca rosam, poma salix generet.  
 5 Iste locus, primum silvestris et effera tellus,  
 6 ipsius exemplis est modo porta poli.  
 7 Vir cani capitis, vir perfectae probitatis,  
 8 caelorum civis, dormiit in domino.  
 9 Plebs Aquitana, patris corpus complectere tanti,  
 10 qui tibi vivit adhuc religionis odor.  
 11 Gallia, congaude Geraldo, quem genuisti,  
 12 ac cineres sanctos hic venerare suos.

v.1 Mente columbinus, zeli fervore severus,  
 2 alloquio dulcis, moribus egregius,  
 3 pauperibus largus, sibi parcus, fronte serenus,  
 4 cunctis compatiens pectore largifluo,  
 5 abbas Geraldus jacet hic pro carne sepultus -  
 6 liber enim caelos spiritus obtinuit.

7 Gallica plebs genitrix plebi dedit hunc Aquitanae,  
8 et silvas veteres Burdegalae coluit,  
9 qui tantum terrae, genti quoque profuit illi,  
10 ut modo gens per eum terraque fructificet.  
11 Ossibus hic locus est dives decoratus opimis ;  
12 prosit honor populis ossibus exhibitus.

82 DE EODEM ABBATE

v.1 Alba columba Dei, maculis rugisque remotis,  
2 quem nocuit culpa nulla nigredo suae,  
3 miles ut emeritus ad regis praemia raptus,  
4 spiritus abbatis vendicat astra sibi.  
5 At qui de terra cinis est, adjunctus eidem,  
6 hac requiescit humo, jure vocatus homo.  
7 Hic natale solum, quod erat sibi Francia dulcis,  
8 vitro deseruit pone sequens Abraham.  
9 Silvae majoris probus hospes et incola primus,  
10 hos tenuit saltus excoluitque Deo.  
11 Nomine Geraldus, vir strenuus alta sitivit.  
12 Hic pausat corpus ; spiritus alta tenet.

83 DE EODEM ABBATE

v.1 Prudens ut serpens, simplex, Geralde, columba,  
2 angelicus specie, gratus olor capite,  
3 vir leo zelando, supplex agnus patiendo,  
4 mitis, mansuetus, religione probus,  
5 hanc ubi divino domuisti vomere terram,  
6 ad te collectis fratribus innumeris,  
7 tandem communis contactus imagine mortis,  
8 das animam caelo, membra soli gremio.  
9 Ora pro nobis, Geralde, pater reverende.  
10 Non opus est pro te nos aliud petere.

84 AD SCRIPTOREM SUUM

v.1 Quem mihi praecipuum, quem carum, quem specialem,  
2 Hugo, scribendi tua magna peritia fecit,  
3 te prius invito, te convoco teque saluto.  
4 Hugo, tibi nostri mandantur agenda libelli  
5 utque mihi scribas prece te pretioque redemi.  
6 Ergo manus operi tibi protinus apposituro  
7 polliceor pretium, bene si scribas, duplicandum,  
8 nec mora longa mihi neque tempus taedia gignet.  
9 Si tamen id studeas, et cures ut bene scribas,  
10 altera de minio capitalis littera fiat,  
11 altera de viridi glaucove nigrove colore,  
12 ut versus semper varietur origo decenter.  
13 Ipse tuum nomen in saecula perpetuabo,

14 si valeant aliquem mea carmina perpetuare.  
15 Versibus in nostris, Hugo, te pono priorem,  
16 quem posui primum specimen sub pectore nostro.  
17 Praeterea munus quoddam speciale reservo :  
18 caseus est unus quod tibi spondeo munus ;  
19 sumptibus ipse meis volo te nunc ducere Romam,  
20 ut levies nostrum per mutua verba laborem.  
21 Tunc tibi non anceps signum redolebit amoris,  
22 cum jocundabor verborum melle tuorum.  
23 Interea servire velis ut id omne lucreris.

v.1 Qui joculari cupis ludentis carmen adire,  
2 tamquam nugarum proprio plectus amore,  
3 id primum quaeso : simplex conviva venito,  
4 pro dapibus magnis neque sollicitatior ito.  
5 Mensula parva satis, sed erunt tibi fercula crebra,  
6 crebra quidem fiet mutatio materiei ;  
7 fercula nec multo mea sunt condita sapore :  
8 revera sensus dictanti defuit iste,  
9 nec melius potui quam dixi dicere quidvis.  
10 Me reprehendum testantur opuscula nostra,  
11 quandoquidem lubricas insector et audeo nugas.  
12 Carmen enim nostrum decet alti ponderis esse  
13 nec recitare senex pueriles debeo mimos ;  
14 maturos sensus matura professio vellet.  
15 Ipse recognosco quia jure quidem reprehendor,  
16 sed veniamque peto veniamque petendo merebor,  
17 excusanti me si credulus ipse favebis.  
18 Dicere quid poteram ? Temptando probare volebam.  
19 Ergo cur isto libuit discurrere campo ?  
20 Cur auriga suas meus huc deflexit habenas ?  
21 Praestiterat reges cecinisse vel abdita rerum,  
22 vel mihi materies esset gens antipodarum,  
23 Phoebei currus vel menstrua motio lunae  
24 vel rabies Scyllae vel saeva vorago Charybdis.  
25 Haec vere nostras superabant omnia vires,  
26 is quoque congressus foret importabile pondus,  
27 aut etiam nemo, sub tanto fasce gravandus,  
28 haec legeret, subito cum taedia prognerare  
29 lectio difficilis soleat peregrinaque verba.  
30 Et cur scribatur nisi scriptum forte legatur ?  
31 Ergo quod pueros demulceat atque puellas  
32 scripsimus, ut pueris id consonet atque puellis,  
33 sicque meum relegatur opus volitetque per orbem,  
34 illud dum relegent pueri relegentque puellae.  
35 Quod vero tamquam de certis scriptito rebus  
36 et quod personis impono vocabula multis  
37 et modo gaudentem, modo me describo dolentem  
38 aut, puerile loquens, vel amo vel quidlibet odi -  
39 crede mihi, non vera loquor, magis omnia fingo.  
40 Nullus amor foedus mihi quidlibet associavit,  
41 sed modus iste mihi dictandi plus inolevit.



42 Sicque figuravi quod multis competat in me,  
43 nec plus inde mihi nisi semen materiei  
44 et mihi quod genus hoc jucundius esse putavi.  
45 Quocirca, sodes, mea sit sententia verbi,  
46 et sua, non mea, sit intentio materiei.  
47 Sermones nostros intellige pectore fido  
48 laetenturque mei versus interprete digno.  
49 Non sis verborum scurrilis leno meorum,  
50 perlege quicquid erit sine suspicione sinistra.

86 MARBODO POETARUM OPTIMO

v.1 Me tibi teque mihi quoniam, divine poeta,  
2 mutuus affectus et mutua fabula jungit  
3 verborumque frequens nos alternatio pascit,  
4 noluimus calamos ad se colludere nostros  
5 et nobis nostras non alternavimus odas.  
6 Aut tamquam fessi nostro parcendo labori,  
7 aut velut alterno sic prospectando timore,  
8 exstitimus tales hucusque silentia passi  
9 et, quasi consumimus os, carmina nulla loquuti ;  
10 sed, quia nos ingens dictandi submovet ardor,  
11 carminibus nostris modo jocundabimur ad nos,  
12 quem, sine lite, jocum reverentia nostra sequetur,  
13 ut procul abjecto livore camena loquatur,  
14 quatenus alterius scriptis arrideat alter  
15 et percontanti respondeat ore sereno.  
16 Ergo, primus ego nimio confisus amore  
17 quem mihi praecipuo sum complexatus honore,  
18 Marbodum, quem me specialem testor habere,  
19 carminibus nostris in primis mando valere.  
20 Mi Marbode, precor ut nostra poemata cernas  
21 nec quod amica manus scripsit quasi vilia spernas.  
22 Tu decus esto mei castigatoremque libelli,  
23 gibbosamque struem lima compesce fideli ;  
24 tu tempestiva rimas infunde litura  
25 et studio toto mutilum suffire memento.  
26 Insignitus enim te praesule tutior ibit ;  
27 tu superincumbens nutans opus exhilarabis,  
28 teque regente librum timor evacuabitur omnis.  
29 Si bene quid dixi, lauda moderamine justo,  
30 ne mercede sua careat vigilantia nostra,  
31 quatenus ad studium vehementior inciter ipse  
32 et cupidus laudis in carmina totus anhelem.  
33 Allicit ambitio plures laudisque cupido  
34 et tamquam rapidis calcaria vatibus addunt.  
35 Laudeque pro merita pedibus talaria figunt.  
36 Nec tamen id laudes quod jure queat reprehendi ;  
37 erratus nostros ut clemens corrige censor  
38 et sensus rectos ut amicus perlege lector.  
39 Si faveas etenim mihi, livor et ipse favebit.  
40 Quicquid censueris tecum de codice nostro,  
41 carmine rescribas ut mecum carmine ludas.  
42 Vita jocosa mihi placet, ergo musa jocosa.

v.1 Casus jucundas nuper mihi contulit odas,  
 2 Audeberte, tuo de nomine praetitulatas,  
 3 quas ego furatas studiosius ecce revolvo.  
 4 In quibus ipse satis splendes, mihi notificatus  
 5 non oculis carnis, sed cordi cognitus intus.  
 6 Quocirca mecum speciali vivis honore,  
 7 quem mihi praecipuo carmen devinxit amore.  
 8 Censeo famosis te vatibus aequiperandum,  
 9 quamvis praeniteas re, fama, vatibus ipsis  
 10 nec tu dissideas a commoditate Maronis.  
 11 Quod sic in nugis etiam constare videtur,  
 12 quas ego multiplices ex te mihi lectito pro te,  
 13 in quibus excellis studiosos temporis hujus -  
 14 quin etiam, veteres tunc temporis exsuperasses - ,  
 15 doctiloquus Naso non nunc urbanior esset,  
 16 nec nunc, ut spero, sua musa citatior iret.  
 17 De Berengario Turonensi pauca loquutus,  
 18 es nobis visus, nisi fallor, magnus Homerus.  
 19 Denuo dixisti quoniam tria moribus obsint,  
 20 quae tria, si superent, ducunt in perditionem :  
 21 femina, census, honos, ferales moribus hostes ;  
 22 quod tam diserte, tam pleniter enucleasti  
 23 ut mox sufficiant sic enucleata legenti.  
 24 In quibus expositis sic ipsum te superasti  
 25 ut te crediderim vel Apollinis ore loquutum,  
 26 aut inter superos si quis sit Apolline major,  
 27 majestate Jovis pro religione remota.  
 28 Ergo nolo mei sis amodo carminis expers,  
 29 ut sub amore tuo sic me digneris habere  
 30 carminibusque tuis facias me participare.  
 31 Sique mihi poteris aliquando contiguari,  
 32 ipse tibi potero per memet gratificari.  
 33 Estque diu quod te votivus imagino semper  
 34 et praesentandum nostris obtutibus oro,  
 35 et velut astantem coram me saepe figuro.  
 36 Tuque satisfacies, si respondebis idipsum,  
 37 ut me praesentem votivus scilicet ores.

v.1 Cartula, praeproperas vultum Simeonis adire,  
 2 littera quem dives specialem praetulit orbi,  
 3 majori siquidem semper vacat ipse sophiae.  
 4 Sis obtusa licet, nimiae quoque rusticitatis ;  
 5 si velit ergo tuas extemplo refellere nugas,  
 6 cujus es edicas, et cur te miserit illuc ;  
 7 taliter hunc subito reddes tibi commodiorem.  
 8 Ergo salutatum duces in parte sequestra  
 9 assensusque meos ejus stillabis in aure.

10 Dic : "Simeon, si te fastidit praesulis aula  
11 turbaque turbata, nec ager tibi semina reddit  
12 visque quiete frui responsivaque quiete,  
13 ad me divertas, si praesulis arva refutas.  
14 Arridebit enim tibi tellus nostra serenti ;  
15 plenus ego mercedis ero, si veneris ad me,  
16 et replebo manum, mihi si repleveris aurem.  
17 Optativa fames me cogit amorque legendi,  
18 ad nostros ut te rogiem transire Penates.  
19 Multiplices curae non me paterentur in urbe  
20 esse diu tecum ; sed si tu veneris ad me,  
21 ipse parabo mihi tempusque locumque vacandi.  
22 Nos ad id alliciet etiam sua copia nostri.  
23 Sic mihi rescribas rescriptum ut facta sequantur,  
24 at nil rescribas nisi cartam facta sequantur."

89 AD EUM CUIUS COLLOQUIUM EXPETEBAT

v.1 O si colloquium nos nobis contiguaret !  
2 Prospera colloquii me commoditas recrearet,  
3 pigritie somno sopitum me evigilares,  
4 aurem pulsando dum tamquam me stimulares.  
5 Ingenii ipse mei laudasti carmine venam  
6 aptastique tuam sic me laudando camenam.  
7 Ingenii sed vena mei quasi languida marcet,  
8 hanc dum cura frequens, labor improbus angit et arcet.  
9 In varias rapiunt diversa negotia partes,  
10 quem procul abducunt a me tot funditus artes.  
11 Utque magis stupeas : sollers mihi sollicitudo  
12 ad quaecumque velim fit praecipitans hebetudo ;  
13 partim dimensus minor est per singula census  
14 et minor est in se partiti copia sensus.  
15 Da mihi, quaeso, Deus, tam dira negotia desint  
16 daque bonis studiis bona jugiter otia praesint ;  
17 da mihi, quaeso, mei sim saltim quandoque compos,  
18 ipse mei compos qui sum modo pauper et impos ;  
19 da mihi librorum valeam gluttire medullas  
20 nec patiar nugas mundani turbinis ullas.  
21 Si fierem liber, per lucida signa pateret  
22 ingenii nostri si quid mea vena valeret.  
23 Nunc mihi nequaquam merito laus competit ulla,  
24 excepto quod me commendat sancta cuculla.  
25 Ergo liquet quia me laudasti sicut amicus :  
26 non invidisti sicut delator iniquus,  
27 non es adulantis vestigia blaesa secutus,  
28 sed satis apta tenens es amici more loquutus.  
29 Ergo, tibi grates quas postulat usus agendo,  
30 quod mihi te redimat, Guillelme, valeto rependo.  
31 Ut venias ad me neque musae dicta recusa,  
32 nostra sub extremo dicit tibi margine musa.

v.1 Si citus acceleras tibi grata negotia, laetor :  
 2 utque citus redeas, fac citus acceleres ;  
 3 accelera reditum, si rem tamen accelerasti.  
 4 Quod si poscit adhuc res, habeat spatium :  
 5 tempus habeto rei tamen illud quod rogitasti,  
 6 quod tamen abbrevia si breviare potes.  
 7 Quod nos a nobis fortuna coegit abesse,  
 8 conqueror et doleo, credo quod ipse doles.  
 9 Nam si non dolor est quod carni demitur unguis,  
 10 porro quod alter abest jam quoque non dolor est.  
 11 Non fuit alterius nisi dimidiata voluntas  
 12 si de velle parum defuit alterius.  
 13 Dum loquimur, persaepe fuit quod cogitat alter  
 14 alterius sermo quatenus anticipet,  
 15 credo deesse mihi, dum desis, dimidium me ;  
 16 ergo age, tolle moras ut subito redeas.  
 17 Tu mea formabas in forma verba meumque  
 18 carmen saepe tuo supposui studio.  
 19 Si quandoque mihi majora negotia deerant,  
 20 otia pascebas carmine nostra tuo.  
 21 O quam jucundo tunc carmine sum recreatus,  
 22 cum mihi de talpa, Naso novus, recitas ;  
 23 nec tamen invideo, sed sic tua carmina laudo  
 24 de talpae quae jam laudibus edideras.  
 25 Ergo salutat te praesentis epistola cartae  
 26 et monet ut redeas : Stephane, tolle moras.  
 27 Fac, precor, ut redeas, ut mutuo nos videamus  
 28 nosque reconcilient altera colloquia.  
 29 O mihi quam laetam reddet fortuna diaetam  
 30 te tempestivum si mihi reddiderit.  
 31 Sola dies sine te mecum decernitur annus,  
 32 mille dies tecum parva brevisque dies.  
 33 Talpa quidem valeat, specialius ipse valeto.  
 34 De talpa versus hosque remitte mihi.

## 91 INUITATIO UT QUIDAM SE MONACHARET

v.1 Ramnulfum salvere suum suus imperat abbas  
 2 et sua dicit ei cartula : "Frater, ave".  
 3 Filius abbati, Vasatensis Burguliensi  
 4 rescribat salve quod prior emeruit.  
 5 Carmina nostra tibi jam bis, Ramnulfе, rogasti,  
 6 tamquam si caelum carminibus teneas.  
 7 Nemo poetarum tenuit per carmina caelum,  
 8 dux tamen ad caelum littera saepe fuit.  
 9 Si vis ergo viam, Ramnulfе, incedere rectam  
 10 atque fidem nostris addere colloquiis,  
 11 cures colloquium neque cures carmina multum ;  
 12 tempus colloquio, si petis, ipse dabo.  
 13 Nos quoque carminibus aliquando jocando vacamus,  
 14 sed neque carminibus otia multa damus.  
 15 Cum volumus siquidem nostrum leviare laborem,

16           quod magis aedificet scribimus aut legimus.  
17   Dormit gentilis nobiscum pagina vilis,  
18       namque libros gentis illius exuimus.  
19   Ad nos ergo veni, quod vis edissere nobis :  
20       non vult ambages servitium domini.  
21   Emendare tuam, si vis, Ramnulfе, juventam,  
22       in quibus ipse velis, auxiliator ero.  
23   Respondebo tibi quo debeo, quo decet ore ;  
24       ipse pusillanimes quandoque sustineo.  
25   Ne timeas igitur, angustis callibus itur,  
26       non dilatatis, saepius ad dominum.  
27   Me rogo Ramnulfus sua per rescripta salutet  
28       et mihi quicquid erit perlegat et recitet ;  
29   explicit umbrosos sensus obscuraque verba,  
30       a me se donec nonerit implicitum.  
31   At ne sustineas pro paupertate pudorem :  
32       pauper ego, pauper Christus et ipse fuit.

92           DE GRAPHIO FRACTO GRAUIS DOLOR

v.1   Pro dolor ! heu, casus gravis, infortunia saeva !  
2       Heu, fortuna nocens, heu, miserum facinus !  
3   Me stilus iste meus, decimum comitatus in annum,  
4       in partes fractus dissiluit geminas.  
5   Nec geminae partes nec jam stilus altera pars est :  
6       Ergo stilus meus hic desiit esse stilus.  
7   De ferro graphium ferrarius effigiavit ;  
8       effigiale perit, materiale manet.  
9   Quod manet est ferrum, stilus, id quod perdidit esse,  
10       esse quod artificis extudit ingenium.  
11   Attamen artificis potius mihi cura placebat  
12       quam res ipsius materiae placuit.  
13   Hoc humana manus decus addit materiebus,  
14       res ut ab arte sibi trajiciant pretium.  
15   Artes innumerae, labor exquisitus abusque  
16       confecere meum, quem modo plango, stilum.  
17   Telluris rimando sinus patefecit abyssum,  
18       dum latitans ferrum quaerit anhelus homo.  
19   Tandem, flammivoma triduo fornace recoctum  
20       educit ferrum de liquido solidum.  
21   At necdum stilus est per tot molimina ferrum :  
22       instat ut id faciat cura sagax hominis.  
23   Marculus atque tenax, follesque parantur et incus  
24       et focus, ut ferrum cuncta doment pariter.  
25   Indefessus item coeptis ferrarius instat  
26       et ferrum ferro vincit et igne simul.  
27   Lassus anhelat homo, gemit incus, duplicat ictus  
28       alte sustollens brachia nigra faber.  
29   Per varios nisus tandem stilus effigiatur :  
30       quippe stilum tantae condere molis erat !  
31   Rursus inest operi ; limas parat ad poliendum ;  
32       hic polit, hic acuit, hic quoque quadrat homo.  
33   Quemque tot et tanti graphium peperere labores  
34       et tantum tempus, abstulit una dies.

35 Lamentum quam grande, dies infesta, dedisti,  
36 cum perimis graphii nomen et officium !  
37 An frustrabor ego graphii solamine laetus,  
38 Orbe decennali quem socium didici ?  
39 Heu grave discidium, fractura quod edidit una !  
40 Ecce meae manui, mi stile, subtraheris !  
41 Quo perarabo meas tam digno pectine ceras  
42 tamque meis tabulis qui stilus aptus erit ?  
43 Si quovis pretio posset tua plaga juvari,  
44 indiga nostra manus non fuerat pretii ;  
45 sed quoniam lacrimas mihi censeo nil valituras,  
46 hoc mihi solamen ipsemet accipio :  
47 quas mihi reliquias de te fortuna reliquit,  
48 in bene servandas computo divitias  
49 et, si quid possunt mea carmina posteritatis,  
50 te commendo meis carminibus titulis.  
51 Vos, o praesentes successurique poetae,  
52 hos legitote meos de graphio modulos.  
53 Conqueror, o vates, quoniam qui carmina mecum  
54 mille stilus cecinit, discidit et periit.  
55 Sic vestros fortuna stilos tueatur, ut ipsi  
56 plangatis graphium diriguisse meum.

v.1 Lampadis os, Philippe, vale, puer indolis alte,  
2 lux olim cleri clara futurus, ave.  
3 Me tibi quem praefert gradus et provector aetas  
4 ad te compellit scribere solus amor.  
5 Scribo quod puero surgenti profore possit  
6 quodque dies nostros quodque gradum deceat.  
7 Tu, quod cudit amor, quod amici more paciscor,  
8 sicut amicus habe, solus habendo lege.  
9 In triviis siquidem nolo mea dicta vagentur,  
10 nemo nisi infelix invidia caruit.  
11 Sicut nobilitat te linea sanguinis alti,  
12 sic quoque te morum linea nobilitet.  
13 Subditus esto libens virge manibusque magistri ;  
14 dum vacat, assiduus disce, revolve libros.  
15 Tempus erit subito cum te tua provehet aetas,  
16 cum te nobilitas avocet a studiis.  
17 Nam si nescieris tunc respondere rogatus,  
18 si praesul fias, mutus asellus eris.  
19 In condiscipulos nimium saevire caveto,  
20 immo magis recolas te fore discipulum.  
21 Quod tecum gessit nec cuilibet improperebis  
22 nec tibi quod soli dixit amicus homo.  
23 Si sis iratus, nulli tamen objice crimen,  
24 paccatus siquidem forsitan alter eris.  
25 Nobilitas et lingua procax moresque protervi  
26 nec sibi concordant, nec bene conveniunt.  
27 Nobilibus siquidem proavis Odonibus ortus,  
28 ortus es Odones ut veteres renoves,  
29 qui sic vixerunt, fuerint ut Julius armis,

30 Augustus pace, divitiis Salomon.  
31 Addidit Octodorum sibi scilicet unus eorum  
32 Augustamque suis viribus obtinuit.  
33 Isque Theobaldum generavit pacis alumnum,  
34 quo, Philippe, venis principe progenitus.  
35 Ergo, quem decorant antiquae nobilitatis  
36 tot proavique duces et comites atavi,  
37 da condigna tuae praesagia nobilitati,  
38 moribus ipse tuis praeniteas atavis.  
39 An sim jucundo, Philippe, locutus amore,  
40 in serie sensus ipse notare potes.  
41 Quod si dicta sonant incomptam rusticitatem,  
42 crede mihi : melius dicere non potui.  
43 Est ignorantis vitium, non culpa volentis  
44 si bene non dixi dicere quod volui.  
45 Denique quod sentis quod gestit nostra voluntas,  
46 ac si protulerint carmina nostra puta.  
47 Dicta meis votis industria vestra coaptet  
48 dictaque votorum vis magis appretiet.  
49 Appretiet cartam, quod cartam misit amicus,  
50 dilige quod praefert nomen amicitiae.  
51 Jam memor esto mei, memoris memorabor et ipse  
52 nec nos a nobis mors etiam dirimat.

94 AD IUUENEM QUI HEREMITA FIERI CUPIEBAT

v.1 Rem quam disponis nec laudo nec reprehendo :  
2 non laudo quoniam deficias timeo,  
3 non reprehendo quidem quia res est religiosa,  
4 si poteris votum continuare tuum.  
5 Scilicet incipias, peragas incepta nec usquam  
6 a bene proposito dimoveare tuo.  
7 Sed, quia praecipiti sub mobilitate juvenus  
8 praecipitata ruit, ipse tibi timeo.  
9 Incipit ecce tua primum florere juvena,  
10 floribus in primis carpere mala cupis ;  
11 fructus maturos producant desine flores  
12 nec metas properus temporis anticipes.  
13 Ipse tibi timeas, ut, dum te corriget aestas,  
14 hujus propositi te quoque paeniteat.  
15 Aestus adhuc carnis in te sua castra ciebit  
16 et tunc conflictus experiere novos.  
17 Tunc in te solo diro quatiere duello,  
18 tamquam sis solus unus et alter homo.  
19 Quis superare potest, dum vixerit, omnia carnis  
20 incentiva suae quae tribulant hominem ?  
21 Seditio gravis est si femina virque repugnet,  
22 plus gravis est in se quando repugnat homo.  
23 Esto, frigescas, esto, puerilia vincas,  
24 naturae victor, victor et ipse tui,  
25 vincas quod dudum didicisti vel docuisti,  
26 est aliud quod te temptet adhuc graviter.  
27 Instat ut id peragas : jejunia longa ; frequentes  
28 impatiens mensas anticipare soles :

29 ergo satur venter quando jejunia discet ?  
30 An tolerare famem pulmo tener poterit ?  
31 Instat ut ipse cibis utaris vilibus atque  
32 vino postposito parcus aquam sapias.  
33 Olim pigmentis nutrito et mollibus escis  
34 quando sufficiet panis et unda tibi ?  
35 Tectus tam tenui quam texit aranea tela,  
36 deliciosus adhuc membra tenella foves :  
37 ergo quando pilos poteris tolerare caprinos ?  
38 Quando tela tibi stuppea conveniet ?  
39 Quando severus erit vivens hucusque jocosus ?  
40 An tacet ad tempus garrulus atque locax ?  
41 Mollia membra situ praemolli quando rigescent ?  
42 Dediscetne cito balnea pulpa caro ?  
43 Alta calore caro brumaeque geluque peribit ?  
44 An tibi lectus erit astula sive cinis ?  
45 Res specialis adhuc est jejulantibus ira ;  
46 saepe cibo parcens subjacet huic vitio.  
47 Ergo contra iram velut irascaris oportet,  
48 ut velut iratus hoc vitium perimas.  
49 Quis procul umquam a se distermine ambitionem  
50 cuive fuit vitae laus odiosa suae ?  
51 Ergo tot et tantos sibi conflans quilibet hostes  
52 plurima seu totidem praeparet arma sibi.  
53 Tu quoque, qui temptas eremitica bella subire,  
54 ad sortem numquam tutus eas dubiam.  
55 Nam cave ne titubes, ne te malus obruat hospes,  
56 quippe duo perdes saecula si titubes.  
57 Et mihi si credes, vel ab hac levitate recedes,  
58 sive mori optabis quam citius poteris.  
59 Bellum intestinum, diuturna famesque sitisque  
60 continuusque labor quid nisi mors gravis est ?  
61 Vita quidem gravis est et morte malignior omni,  
62 quam timor associat poenaeque continuat.  
63 Ergo ne credas puerili mobilitati :  
64 quod modo vis, noles ; tempus adhuc veniet.  
65 Explora mores, et vitae dirige cursum ;  
66 incipe quam possis aedificare domum.  
67 Suscipe quod tibi sit non importabile pondus,  
68 assuetus miles proelia dura gerat.  
69 Expugnes urbes, expugnes oppida, turres,  
70 scilicet haec vincas, est grave, te superes.  
71 Et si quid nequeas ad finem ducere, tangas  
72 ridiculum : veluti Marsia victus eris.  
73 Ut fatear verum, mentem mutabis et actum ;  
74 est puer instabilis ut rota vertibilis.  
75 Si remanes, laudo ; si vadis, non reprehendo ;  
76 tunc reprehenderis cum vomitum biberis.  
77 Ergo domi remanere velis et credere patri  
78 quam te fluctivago conjicias pelago.  
79 Si sapias, annum transibis praemeditando,  
80 ut sic decernas quid potius voveas.  
81 Praemeditatus enim si quid jam voveris ultra,  
82 digna voveto Deo dignaque redde sibi.  
83 Sunt duo quae facias, aut vades aut remanebis ;  
84 aut hoc aut illud gnaviter efficias.



85 Altera res tuta est, res altera religiosa ;  
86 tutus in hac vita vive, beatus eris.  
87 Si quoque scire cupis quae sit mea dictio, dicam :  
88 "Naviget in portu qui freta saeva timet ;  
89 tam fragilem cymbam Boreae committere noli,  
90 res equidem fragilis est lutulentus homo.  
91 Malo tot et tantis me non exponere ventis  
92 quam timeam ventos quoslibet expositus.  
93 Apricasque domos, apricaque diligo claustra,  
94 ipse fugabo Deum, si Deus inde fugit".  
95 Sermones pauci repetuntur saepius, ut sic  
96 amoveam qui te nunc furor exagitat.  
97 Nam si desipiat, superest cohibendus amicus,  
98 donec ab inceptis hunc dirimas stolidis.  
99 Tuque puer libripens hoc viso carmine pensa  
100 vel tibi quid sit onus, vel tibi quid sit opus.

95 ARCHIEPISCOPO PISANO

v.1 Si tibi complaceant aliquorum carmina vatum,  
2 et mea complaceant tibi, gloria pontificalis,  
3 quamvis a tanto mea carmina praesule distent,  
4 cum sis pontificum vere specialis honestas  
5 nec me nobilibus mea fistula vatibus addat  
6 et peregrinus ego peregrino pectine scribam.  
7 Sed tua me bonitas aliquid temptare coegit,  
8 nam semel inspecto tibi mox ego totus inhaesi.  
9 Ergo more meo, lux, te, Pisana, saluto  
10 inque tuas laudes revera totus anhelio.  
11 Totus anhelabo dum vixero dumque valebo,  
12 sed me non patitur modo plurima scribere tempus.  
13 Ergo loquar breviter nec taedia prognerabo,  
14 at mihi largifluis faveat tua copia factis.  
15 Pro me proque meis supplex orator adesto,  
16 ut nos commendes papae conamine toto  
17 ostendasque tuum tali modulamine nobis.  
18 Non ingratus ero tibi si mihi gratificeris.

96 AD EUM QUI SIBI NULLOS UERSUS REDDEBAT

v.1 Carmina saepe meo misi duo vel tria Gallo,  
2 carmina nulla meus curavit reddere Gallus.  
3 Innuit ut sileam taciturni fistula Galli :  
4 non mea suscipiet nisi det sua carmina Gallus.

97 FLORUS OUIDIO

v.1 Fletibus irriguam mitto tibi, Naso, salutem,  
2 qua tamen omnino, dum careas, careo.  
3 Ipse salute cares in Ponti finibus exsul ;

4           Romae sum lugens, ergo salute carens.  
5       Quis procul a patria patriae non semper anhelet  
6           ad natale solum nec cupiat reditum ?  
7       Nullus pauperibus locus est, habitatio nulla,  
8           nulla sibi propriae mentio fit patriae ;  
9       at qui civis eras Romanae nobilitatis,  
10           ipsis non impar sanguine Caesaribus,  
11       pulsus ad extremos, Parthus quos excolit, agros,  
12           immerito meritis jungeris exsulibus.  
13       Ut reus, injustam fers duri Caesaris iram :  
14           inde nec injustas ipse fero lacrimas.  
15       Ecce cares Roma ; gelidum removeris ad Histrum,  
16           annum dimidiat qua glacialis hiems.  
17       Orbis Roma caput, qua totus convenit orbis,  
18           orbis imago, tibi deliciosa domus.  
19       Nota theatra tibi, tibi cognita porticus omnis,  
20           omnis et ipsius nota platea tibi ;  
21       quo populi coeunt, quo fundunt vota puellae,  
22           et loca nota tibi. Tu quoque notus eras :  
23       fallere te numquam potuit venatus amorum,  
24           retia forte tibi tendere si libuit ;  
25       femina nulla tuis fuit impenetranda sagittis,  
26           cedebat jaculis femina cuncta tuis.  
27       Suspectusque viris nec eis tamen invidiosus,  
28           affectare ipsos ipse tibi poteras.  
29       Nulli odiosus eras, sed eras gratissimus omni,  
30           excepto quod te non bene Caesar habet.  
31       Quippe gravis rumor pulsavit Caesaris aures :  
32           de te deque sua conjuge rumor erat.  
33       Nullus amicorum sedavit Caesaris iram,  
34           nil tua profecit musa vel eloquium.  
35       Caesar enim numquam magis implacabilis ulli  
36           quam tibi tantilla pro levitate fuit.  
37       Nulla viro est tanti res quam de conjuge fama,  
38           nulla ingrata sui fama pudica tori est.  
39       Nec tamen ad sanctum sunt haec delata senatum  
40           communi famae carmen amoris obest,  
41       communi famae res livida dissimulatur :  
42           quod noceat, dicit esse poema tuum.  
43       Nec tamen exilio te dignum musa peregit,  
44           sed tibi plus musa Caesaris ira nocet  
45       sexus uterque diu sine carmine novit amare ;  
46           quod tenuere prius saecula, tu recitas.  
47       Non tu saecula doces, sed saecula te docuerunt :  
48           Argus decipitur versibus absque tuis,  
49       versibus absque tuis delentur moenia Trojae,  
50           novit amare Venus versibus absque tuis.  
51       Naturam nostram plenam deus egit amoris ;  
52           nos natura docet quod deus hanc docuit.  
53       Si culpatur amor, actor culpetur amoris :  
54           actor amoris enim criminis actor erit.  
55       Quod sumus est crimen, si crimen sit quod amamus  
56           qui dedit esse deus praestat amare mihi.  
57       Nec deus ipse odium fecit, qui fecit amorem :  
58           namque quod est odium nascitur ex vitio.  
59       Tu recitator eras nec eras inventor amoris,

60           nulla magisterio flamma reperta tuo est.  
61    Scriptor comoedus pereat pereatque tragoedus,  
62           si levis aura tuae paginulae pereat.  
63    Denique, quod pulsus patria, quod factus es exsul,  
64           id Caesar potuit, non calamus meruit.  
65    Ecce mihi reduces facit haec querimonia fletus  
66           et numquam veteres en renovat lacrimas.  
67    En renovat lacrimas Nasonis casus acerbus.  
68           Ha ! nimium doleo, quod tibi nil valeo.  
69    Nil valeo et doleo, quia sis mihi causa dolendi ;  
70           quod tamen et doleo, hoc vehementer amo.  
71    Participare tuis, quantum licet, opto querelis,  
72           causa querelarum nec tamen ipse fores.  
73    In lacrimis saltim si nobis participemus,  
74           non nos a nobis arbitror esse procul.  
75    Corpore sum Romae, sed votis exsulo tecum,  
76           nam nulli potius quam mihi carus eras.  
77    Roma mihi locus est, tibi Pontus : vel mihi Roma  
78           sit Pontus, Pontus vel tibi Roma foret !  
79    Heu, nos a nobis omen grave cogit abesse ;  
80           attamen, absentes spiritus unus alit.  
81    Irrequietus ego terras metibor et aequor,  
82           ut saltim tecum demorer exul ego.  
83    Sim Nasonis ego, Naso sit Caesaris exul,  
84           Naso potestatis, exsul amoris ego.  
85    Debeat inscribi nostro res ista sepulchro :  
86           "Exsul Nasonis sponte sua jacet hic".  
87    Tunc laetabor ego, tunc molliter ossa quiescent,  
88           si superaddatur hic tumulo titulus.  
89    Reges edomiti vim Caesaris experiantur,  
90           experiar liber foedus amoris ego.  
91    En alii timeant sibi verba tonantia regum ;  
92           fretus praevalido pectore nil timeo.  
93    Nil aliud timeo, nisi claudat ut aequora Caesar  
94           abdicatque mihi protinus orbis iter.  
95    Ecce malum duplex, heu, si me segreget a te,  
96           si nos a nobis separet impietas.  
97    Immo, nos unus capiat quicumque locellus,  
98           ambo vivamus, vivere dum liceat.  
99    Alter si moritur, subito moriatur et alter,  
100           nos ambos unus suscipiat tumulus.  
101    Aurae vitales a semet non dirimentur,  
102           carnibus expositae : spiritus unus erunt.  
103    Tu quoque, tu, Caesar, tunc non dominabere nostri :  
104           lurida sub te sunt corpora, non animae.  
105    Quid moror in verbis ? Promissa est solvere tempus  
106           dum quoque Caesar abest, acceleranda via est.  
107    Nunc etenim Morinos et fines fulminat orbis,  
108           sed jam praeproperat fama redire virum.  
109    Vadam nec veteri posthac fraudabor amico  
110           nec nos a nobis mors etiam dirimet.  
111    Attamen anticipet praenuntia cartula nostrum  
112           adventum dicens : "En tuus ille venit".  
113    A lacrimis ergo, dum venerit, ipse vacato,  
114           ne nimis expensis tunc careas lacrimis.  
115    Nulli signa viae per te sint cognita nostrae :

116 explorator enim Caesar ubique sedet.  
117 Nomine quod nostro mutilatur epistola nostra  
118 obtinuit Caesar, quem nimis ipsa timet.  
119 Ipsa timet ne, visa semel, non sentiat ignes  
120 sive manus lacerae discidio pereat.  
121 Nec tamen a solito fraudabitur ipsa valetō ;  
122 immo, refert audax : " Naso meus, valeas " .

98 OUIDIUS FLORO SUO

v.1 Quam mihi non habeo, mitto tibi, Flore, salutem,  
2 exul ab urbe mea, Naso, poeta tuus -  
3 exul ab urbe mea, toto magis exul ab orbe,  
4 orbis barbaries cui proprius locus est.  
5 Hic intemperies caelorum conglomeratur,  
6 hic locus est alter, alter et ipse polus,  
7 hic situs est alter glaciemque nivemque perennans,  
8 hic riget antiquo putrida gleba gelu.  
9 Hic me revera semovit Caesaris ira :  
10 vivo quod exul ego Caesaris ira potest.  
11 Nec tamen emerui quod Roma refutat alumnum :  
12 civis Romanus exsulat immerito.  
13 Si Caesar mitis mihi iudicium pateretur,  
14 Caesaris ipse libens iudicium paterer.  
15 Non me iudicium damnat, sed dura voluntas :  
16 nam quod vult Caesar Caesaris est ratio.  
17 Sed tempta si forte tui deferbuit ira  
18 Caesaris, huncque tuum taliter experiar.  
19 Quodsi fervet adhuc nec me velit ipse reduci,  
20 ex his me saltim gentibus amoveat.  
21 Leniet exilium, si me removebit ab Histro ;  
22 si mutabo locum, jam quasi liber ero.  
23 Ad me venturum te carmine significasti,  
24 sed te venturum non mea causa rogat.  
25 At rogat ut maneat, ut pulses Caesaris aures :  
26 quandoque proficiet res iterata mihi.  
27 Ipse videre potes quia saxum perforat imber  
28 non vi, sed quadam sedulitate ruens.  
29 Nolo fatigeris : poteris veniendo perire -  
30 multa viatores mortis imago tenet :  
31 obsunt praecipites porrecti in sidera montes,  
32 plurima vallis obest ipsum Acheronta petens.  
33 Ingeminare meos quid vis, periture, dolores ?  
34 O utinam peream, si veniendo peris.  
35 Nunc doleo de me ; de te nunc ipse dolerem :  
36 portio tu vitae dimidiata meae es.  
37 Nervi, juncturae tabescunt, ossa, medulle ;  
38 se solum nostri viscus amoris alit.  
39 Nos antiquus amor nobis inviscerat estque  
40 expertum nobis foedus amicitiae.  
41 De te non dubito ; de me quoque non dubitabis :  
42 non est ambiguus noster habendus amor.  
43 Ergo, crede mihi : maneat cum Caesare Romae,  
44 te mihi, te, quaeso, Roma meum foveat.

45 Contemplare igitur tibi post convivia tempus,  
46 tempore quo reges incaluere mero ;  
47 contemplare sui monumenta recensa triumphi,  
48 rumores laetos laetaque colloquia.  
49 Tunc aliquid caute ludens intersere de me ;  
50 nil intemptatum, quaeso, relinque tibi.  
51 Compella socios, compella quod valituros  
52 praenosces, et agas rem prece vel pretio.  
53 Si potes, ipsius tantummodo verba coerce,  
54 pro qua quem nosti me reveretur adhuc.  
55 Attamen injuste de conjuge me reveretur,  
56 quem natura facit conjugis inmemorem.  
57 Nostra puellares exponunt carmina mentes  
58 nosque puellarum non quatit ullus amor.  
59 Quodsi vivat amor aliquis vivatque voluntas,  
60 horum jam neutrum subcomitatur opus.  
61 Garrula lingua mihi moresque fuere pudici ;  
62 ex utero cecidi castus et impos ego.  
63 Sed me virginibus mea pagina gratificavit,  
64 quippe docet quid amans sexus uterque velit.  
65 Id Cesar noxae reputavit nec reputavit  
66 quod docet haec eadem qualiter absit amor.  
67 Nec docui juvenes ut amarent, sed magis illud :  
68 si quid amare libet, qualiter aut quid ament,  
69 curans ut civis civiliter omnis amaret,  
70 urbis seducta rusticitate meae.  
71 Fac igitur semper ut sis cum Caesare noster ;  
72 noster cras esto, sicut heri fueras.  
73 Noster sis, ut te spondet tua pagina nostrum,  
74 sis bonus et melior quam mihi promerui.  
75 Aut mihi sis talis qualem tibi me voluisses,  
76 si sortis nostrae te tetigisset onus,  
77 aut mihi sis talis, tibi qualis et ipse fuissem,  
78 si veniat casus alter in alterius.  
79 Ecce tibi fortuna favet faveatque precamur ;  
80 me quoque transverso respicit intuitu.  
81 Sint mea fata mihi, tua vero divide nobis ;  
82 attamen ipse mihi jam mea dimidias.  
83 Tu comes et socius, tu nobis fidus amicus  
84 assumis lacrimas participando meas.  
85 Sed, rogo, lamentis modicum te subtrahe nostris,  
86 sed neque te nostris subtrahe subsidiis.  
87 Ingere Caesareis te totis nisibus alis,  
88 ingere te mensis, ingere te thalamis ;  
89 ingere colloquiis de me quae digna videbis :  
90 multi vicerunt improbitate sua.  
91 Sed de me taceat velut invida Caesaris uxor  
92 nec quicquam de me suggerat ipsa viro ;  
93 attamen ipsa viri poterit tibi pandere verba :  
94 haec tibi verba viri, tu sua pande mihi.  
95 Si quid decernet Caesar quasi mitius in me,  
96 mox sua jussa tuus nuntius anticipet.  
97 Nam nihil esse potest quod possit durius in me :  
98 si placet, occidat ; nam mihi mors levior.  
99 Sunt tria quae vellem, quoniam leviora videntur :  
100 solvi, transferri, sise necando mori.

101 Haec tria quaeso mihi, faciat mihi de tribus unum  
102 praeter quod fecit, nil faciet gravius.  
103 Aggravet ipse manum, semper leviabitur ipsa,  
104 quippe gravare nequit, sed leviare potest.  
105 Forsan ut infidum me mendacemque veretur ;  
106 attamen istorum me fateor neutrum.  
107 Ecce fidem de me sacramentumque paciscor  
108 tuque paciscentis proximus obses eris.  
109 Si sibi sint odio mea carmina, carmina vito :  
110 exsilium peperit improba musa mihi.  
111 Si quoque Caesareos jubear narrare triumphos,  
112 sidera contingam pectine doctiloquo.  
113 Grandia dico satis, sed grandia dicere debet,  
114 ut sic evadat, quem premit exsilium.  
115 Nec tamen ultra me sum Naso poeta loquutus :  
116 omnibus ingenii cognita vena mei est.  
117 Ingenium dives me regum duxit ad aures,  
118 me plus quam volui sustulit ingenium.  
119 O utinam ingenium hoc latuisset Caesaris aures  
120 ingenium exsilii fit mihi causa mei.  
121 Ingenio didici formas inducere formis  
122 et quicquid volui dicere musa fuit.  
123 Forsitan haec olim tibi me dixisse juvabit,  
124 haec aliis itidem dicere cum poteris.  
125 Simpliciter nostram si dicas utilitatem,  
126 forsitan ejusdem Caesar amator erit.  
127 Nullorum musae vatum sibi sunt odiosae,  
128 excepto nostrum quod male carmen habet.  
129 Sed de me major mihi quam de carmine nostro  
130 est labor et cura sollicitusque dolor.  
131 O me diligeret nec amaret carmina Caesar -  
132 haec me cura mei non sinit immemorem.  
133 Heu, me revera comedunt incommoda dura,  
134 heu, gravibus morbis afficior lateris !  
135 Gentis barbaries et lingua profana Latinis  
136 terraque vere carens me nimis afficiunt.  
137 O quantum vitae perdit, qui floribus agri,  
138 qui volucrum dulci garrulitate caret !  
139 Hic avium vox nulla sonat, flos nullus habetur ;  
140 albicat omnis ager sedulitate nivis.  
141 O vita infelix, morte infeliciores omni,  
142 cui diuturnus inest continuusque dolor !  
143 Tot mihi sunt mortes quot sunt mihi tempora vitae  
144 donec vivo miser, semper ego morior.  
145 Pro dolor, in poenis hominem durare dolendum est,  
146 morte quidem poenas anticipare leve est.  
147 Intempestivis algoribus ecce rigesco ;  
148 vae mihi, Naso tuus, frigore depereo.  
149 Nec quemquam timeo nec quemquam carta timebit :  
150 idcirco nomen saepe frequento meum.  
151 Id sapiat Caesar, id non abscondere possum :  
152 esse nimis cuperem liber ab exsilio.  
153 O mea Roma, tuis si reddar moenibus umquam,  
154 o si forte tuis uberibus recreer,  
155 o mihi si sanctum detur spectare senatum,  
156 si reliquos patres sique tuam faciem,

157 proruerem supplex in quaelibet oscula patrum,  
 158 in tua, Flore, magis oscula proruerem.  
 159 En nunc effundo quos tunc effundere fletus  
 160 debueram - tantus me dolor exagitat !  
 161 Observant nullum mea jam suspiria tempus :  
 162 tempus enim totum substitit in lacrimis.  
 163 Sed rogo te, rogo te, mi Flore, mei miserere  
 164 atque memento mei, cum tibi tempus erit.  
 165 Tu solus spes una mihi, res ipse salutis ;  
 166 in te singultus colloco, Flore, meos.  
 167 Verterer in truncum potius velut altera Phyllis  
 168 quam mala sentirem quae facit exsilium.  
 169 Invenere dei meliores Laodamiam,  
 170 Pyramus et Thisbe numen habent melius.  
 171 Passeris extincti non parvula defleo damna,  
 172 me deflent oculi non sine rore mei.  
 173 Jam quoque deficio ne versus versibus addam  
 174 extremumque vale vix ago, Flore, tibi.

v.1 Carmine te nostro, mi Godefrede, saluto,  
 2 si tamen et nostrum carmen habes placitum.  
 3 Sique salutantis vis nomen nosse locumque,  
 4 Burgulius locus est, nomen id insinuet.  
 5 Te scio magnatum pastum modulamine vatam,  
 6 te quoque Pierias incoluisse domos.  
 7 Novimus auctorum quia vivat spiritus in te :  
 8 Virgilii gravitas, Ovidii levitas.  
 9 Nam quocumque stilo causas edicere temptes,  
 10 Ipse stilus causam, non polit ipsa stilum.  
 11 Sic tamen exornat causam stilus ipse modeste  
 12 ut causam atque stilum temperies foveat.  
 13 In te praeterea viget excellentia quaedam,  
 14 cunctis qui recitant qua superemineas.  
 15 Quicquid enim recitas, recitas ita voce sonora  
 16 ut, quicquid dicas, omnibus id placeat ;  
 17 nam sic verba sonis verbisque sonos moderaris  
 18 quatenus a neutro dissideat neutrum.  
 19 Ore tuo prolata, decet sic littera dura  
 20 jure suo ut mollis littera dicta decet.  
 21 Denique quod dictas, sed et illud quod semel audis,  
 22 vivaci semper ore referre potes.  
 23 Musica, condenseo quondam fuscata veterno,  
 24 defuscata tuo clara nitet studio.  
 25 Ergo quem decorant tot condimenta sophiae,  
 26 quem tot amicorum copia multa premit,  
 27 quem tot nobilium, quem tot responsa potentum  
 28 assidue pulsant continuantque preces,  
 29 me, saltim modicum, non asperneris amicum,  
 30 versibus immo libens ipse vacato meis.  
 31 Ipse dabis pro velle tuo majoribus annum,  
 32 at mihi da saltem nostra legendo diem.  
 33 Ipse vides ut parva decent intersita magnis

34 deque sua serie magna minora juvant.  
35 In volucrum pennis major sibi penna minorem  
36 assuit et seriem penna minor sequitur :  
37 at sunt plus modicae levitatis in alite pennae.  
38 Nam constant multis omnia particulis :  
39 arbor habet ramos, habet arbor brachia magna,  
40 arbor habet fructus, arbor habet folia.  
41 Nusquam tota domus consistit partibus aequis :  
42 ista columna minor, altera major erit.  
43 Omne quidem magnum partes peperere minores  
44 innumerae guttae flumina conficiunt.  
45 Tu quoque, majores tibi quamvis associentur,  
46 contigua pedibus carmina nostra tuis.  
47 Nil tamen invenies, ut dicitur, ore rotundo  
48 prolatum ; nobis spiritus iste deest.  
49 Invenies jejuna nimis modulamina nostra  
50 quae, compacta tuis, tunc minus eniteant.  
51 Ut rutilat fulvum satis aere micantius aurum  
52 sic tua juncta meis carmina carminibus.  
53 Sic etiam virgo quae nunc speciosa videtur,  
54 juncta magis placitae, deperit a specie ;  
55 ut formosa quidem formosior esse videtur,  
56 juncta minus placitae, sic tua juncta meis.  
57 Sicut segnis equus quasi segnior esse putatur  
58 alite quem cursu praevolat alter equus,  
59 et velox ut equus velocior esse putatur  
60 antevolans alios, sic ego tuque sumus.  
61 Anser uti raucus est aequiperandus olori,  
62 sic tibi sum raucus aequiperandus ego.  
63 Inter caelicolas deus esses alter Apollo,  
64 si te fecissent fata benigna deum.  
65 Inter praecipuos cantores temporis hujus,  
66 venisti nobis Orpheus aut melior.  
67 Si te Roma suum quondam meruisset alumnum  
68 altior esset adhuc carmine Roma tuo.  
69 Ipse Jovem e caelo deducere carmine posses  
70 et faceres animam Caesaris esse Jovis.  
71 O utinam per te meruissem perpetuari  
72 meque perennaret musa canendo tua ;  
73 me velles utinam super astra locare beatum :  
74 si velles, inter astra locarer ego.  
75 Si translatus ero, si vis quoque transferar ipse,  
76 ut mihi revera transferar ipse tibi.  
77 Sim licet in sceptris, nostri memorabor amoris  
78 nec sceptrum nostram laedet amicitiam ;  
79 cum donativis ad amici tecta redibo  
80 ut, de translato me, tibi sit melius.  
81 Te memorem nostri facerem quotcumque diebus  
82 et deserviret vestra camena mihi.  
83 Tunc morerer laetus, morerer cum non moriturus,  
84 cum me non sineret postera fama mori.  
85 O ter felicem celebrat quem fama superstes,  
86 atque superstes erit quem tua musa canit.  
87 Nobilis urbs Remis, Remis velut altera Roma,  
88 quam miles Remi constituit profugus,  
89 vires Romuleas veritus post funera Remi



90            (si famaе volumus credere, fama refert),  
91    nobilis urbs, Romae soror, inquam, et Roma secunda,  
92            te genuit, peperit, promeruitque sibi.  
93    Haec te doctrinae totius nectare fultum  
94            ascivit studiis praeposuitque suis.  
95    Gallia tunc etiam studiis florebat opimis  
96            florebatque tuo Gallia plus studio.  
97    Ad te currebant examina discipulorum  
98            et refovebantur melle parentis apis.  
99    Et tunc Remis erat, Remis quoque Bruno studebat,  
100           Bruno Latinorum tunc studii speculum.  
101    Iphis temporibus studuitque senex Erimannus  
102            et mundo studii clara lucerna fuit.  
103    Tu fueras juvenis, fueras et acutior illis,  
104            tertius ergo venis, jam quoque primus eras.  
105    Gervasio princeps, princeps tuus, ille Manasses,  
106            successit, qui te promovet ad studium.  
107    Ipsius calamus, ipsius musa fuisti,  
108            hic ut cantares prodigus obtinuit.  
109    Carmine, dum vixit, sua nomina nobilitasti  
110            et per te Remis nobilitata fuit.  
111    Ipsum carminibus, ipsam quoque perpetuasti  
112            et quicquid captas carmine perpetuas.  
113    Te quoque quandoquidem potes aeternare tuosque,  
114            aeterna, quaeso, nomen in astra meum.  
115    Scribe mihi de me, de me mihi carmina mitte ;  
116            ut quoque rescribas, quae mea sunt relegere.  
117    Quae mea nec linguae falerata decentia munit,  
118            nec sensus feriens, nec positura decens ;  
119    sed sibi vester amor nomen facit alque saporem :  
120            hoc condimento pagina tuta mea est.  
121    Irritamentum mihi si jucundius esset,  
122            quod magis alliceret appositurus eram.  
123    Id nunc apposui, sed mox industria nostra  
124            intermiscabit fercula quae placeant ;  
125    irritamentum mox copia plena sequetur,  
126            larga manus reliquam mitiget esuriem.  
127    Unicus es nobis, tibi nec minus unicus essem.  
128            Aut inter vestros inveniar decimus ;  
129    inveniar decimus vel quilibet inter amicos,  
130            nostros inter, ego sim prior, alter eris.  
131    Sis inter nostros noster specialis amicus,  
132            ut sit in ore meo : "Huc ades, alter ego !"  
133    Denique quantus amor mea viscera moverit in te,  
134            hic aditus nostri proloquitur calami.  
135    Namque tuos vultus non praesumpsisset adire,  
136            ni processisset tutus amore tuo.  
137    Ergo altemus amor me scribere pauca coegit  
138            ut sic te cogam scribere multa mihi.  
139    Hoc etiam spectat tenor inconvulsus amoris  
140            ne nostrum carmen compita circumeat.  
141    Namque meum carmen, si cedat garrulitati,  
142            ex nimia victum garrulitate ruet.  
143    Arbor titillat moriens radice perempta  
144            et, pede sublato, machina quaeque ruit ;  
145    atque suo musa quae non est pondere fixa,

146 ut nostra, a multis dilaceranda foret.  
147 Ergo vide passim ne nostra errata patescant,  
148 ne derodar ego calliditate mala.  
149 Me dictare aliquid pinguis venter reprehendit,  
150 qui tamen et sensum non generat tenuem.  
151 Turba quidem socors post ventrem dedita somno  
152 improperavit idem terque quaterque mihi.  
153 Sed malo libris incumbere carminibusque  
154 quam, par jumentis, ducere tempus iners.  
155 Si tamen et nequeo multum prodesse studendo,  
156 saltem diffugio taedia dum studeo.  
157 Expelles clavum clavo, curam quoque cura,  
158 ne pejor subito cura jecur comedat.  
159 Si nihil est quod ago nec habent mea carmina pondus,  
160 sunt nihil et mecum, sed faciunt aliquid.  
161 Barbaries siquidem vitiorum mox inolescit,  
162 otia si proprium possideant hominem.  
163 Tunc qui pestiferos vis evitare tumultus,  
164 si potes, arripias ut facias aliquid :  
165 aut inhia libris, aut otia nobiliora,  
166 ut dictes aliquid, protinus ingrediere.  
167 Sic a pejori cura revocabere cura  
168 servabisque tuum ne ruat ingenium.  
169 Quin etiam, reddet res assiduata magistrum ;  
170 quo mentem intendis, huc valet ingenium.  
171 Scilicet utaris, multos suos adjuvat usus,  
172 absque mora et lima nemo poeta bonus.  
173 Versibus in centum si versus fulserit unus,  
174 irritus ex toto non erit iste labor.  
175 Si vero nostri versus poterunt decimari,  
176 ecce meus sudor prosilit uberius.  
177 Nam dictare acuit hebetatum mentis acumen ;  
178 dictando siquidem saepe revolvo libros.  
179 Ecce tibi dixi, mi Godefrede, quid hoc sit  
180 quod studeo, licet hoc nil valeat studium.  
181 Carmina confiteor nil in se nostra valere,  
182 sed valet id quod me devocat a vitiis.  
183 Objiciunt etiam juvenum cur more loquutus  
184 virginibus scripsi nec minus et pueris.  
185 Nam scripsi quaedam quae complectuntur amorem  
186 carminibusque meis sexus uterque placet.  
187 Dicere quid possem potius temptare volebam  
188 quam quod amavissem versibus exciperem.  
189 Nam si quid vellem, si quid vehementer amarem,  
190 esset amoris tunc nescia carta mei.  
191 Non promulgetur confessio carmine nostra,  
192 solus cum solo crimina confitear.  
193 Non est in triviis alicujus amor recitandus ;  
194 quisquis amat, cautus celet amoris opus.  
195 Et mihi nullus amor, nulla incentiva fuerunt,  
196 exercere meum sic placet ingenium.  
197 Musa jocosa fuit moresque fuere pudici ;  
198 pectine cantatur lucidiore jocus.  
199 Me quemcumque velit vulgaris opinio semper,  
200 sum quod sum neque me carmina praecipitant.  
201 Non mores nostros infecit carminis usus

202 nec nostros actus, ut reor, inficiet.  
203 Denique, si curae non sunt mea carmina cuique,  
204 qui vult rejiciat, cui placet ipsa legat.  
205 Si nulli noceo, si non exaspero quemquam,  
206 si nullus quatitur improbitate mea  
207 dumque laboro studens, mecum quoque nemo laborat,  
208 cur in me nequam quilibet invehitur ?  
209 Denique, quicquid agam, non praetermittere possum  
210 quin studeam quod agam ; dum vacat, ipse legam ;  
211 ipse legam quod agam, faciamque legatur amicis.  
212 Carmen amicorum non minus ipse legam.  
213 Tu magis alter ego, non ut communis amicus,  
214 sed specialis, ave ; missaque nostra lege.

100 AD EUNDEM GODEFREDUM

v.1 Annus abit, quia jam nos alter suscipit annus,  
2 ex quo, suscepto lecto quoque carmine nostro,  
3 te tua jurasti missurum carmina nobis :  
4 quam male jurasti ! Misisti carmina nulla.  
5 Aut es perjurus, aut te tua carmina purgent.  
6 Et valeant odae tibi, si poterunt, Godefrede !

101 AD DIEM IN QUA LETATUS EST

v.1 Haec mihi festa dies festis coeunda diebus,  
2 qua mihi provenit pariter mea tota voluntas.  
3 Ista dies numeranda mihi meliore lapillo  
4 quam fuit annorum numeranda diaeta meorum ;  
5 istius una quidem mihi contulit hora diei  
6 quod mihi collatum vix credas mille diebus.  
7 Ausus non fueram sperare quod intulit ultro  
8 fatum vel fato melior fortuna secunda.  
9 Ista dies igitur mihi felix et veneranda,  
10 quae me felicem felici sorte beavit.  
11 Matutinus ego tabulas graphiumque pararam,  
12 invitaturus nostras ex more camenas.  
13 Ergo solus eram solusque vacare solebam,  
14 cum mihi Letaudum puer intulit unus adesse.  
15 Gratulor ad nomen, mihi nominis auspikor omen,  
16 vocibus alludo (soleoque eludere voces),  
17 aio : "Laetandum tribuet mihi strenuus hospes,  
18 nam quid Letaudus nisi laetos est pariturus ?  
19 Hospitium sibi nos, se nobis praebeat ipse.  
20 Clericus optimus est, ipsum monachum faciemus".  
21 Intrat, consedit, loquimur quod utrumque deceret ;  
22 tunc, non ambagum multis anfractibus usus,  
23 absque labore gravi sermone meo monachavi,  
24 nec prece, nec pretio, neque me cruciando redemi  
25 ista dies ergo semper mihi festa diescat  
26 et semper felix et semper prospera crescat.

102 AMICO QUEM ANTEA NON UIDERAT

v.1 Carminibus nostris ad nos hucusque locuti,  
2 contigui nobis ore loquamur ad os.  
3 Primum laetemur, quia possumus esse sumusque  
4 tuque mei compos, compos et ipse tui.  
5 Jam stilus et tabulae, jam nuntius omnis abesto :  
6 nos simus nobis ista quod esse solent.

103 AD AMICUM POST REDITUM SUUM

v.1 Debitor a multo rescribo tempore reddens  
2 carminibus multis carmina pauca tuis.  
3 Scis quia detinuit me longi cura laboris  
4 meque procellosum sollicitavit iter.  
5 Sollicitavit iter me ne rescribere possem,  
6 nec tamen esse tui compulit immemorem.  
7 Semper eras nostri sociusque comesque laboris,  
8 et puto te nostrae participasse viae.  
9 Numquam nostra tui fuit immemor, aut in eundo,  
10 aut in curando res alias, anima.  
11 Si plus non poteram, mihi te vigil effigiabam  
12 teque figurabant somnia multa mihi.  
13 Causidicis aderam nec eram longinquior a te  
14 (in tantum mihi te conciliarat amor)  
15 quam si nos nobis aut res bona contiguasset,  
16 aut recrearet me gratia colloquii.  
17 Intererat curis curae pondus gravioris,  
18 quae, quamvis gravior, esset amabilior.  
19 Optabam reditum, reditum meditabar anhelus,  
20 si quando valeas tu mihi restitui.  
21 Ecce reversus ego te per mea scripta reviso  
22 teque salutato, gaudeo si valeas.  
23 Si valeas valeo, manda mihi quod tibi mando,  
24 ut quoque me recrees, fac cito me videas.  
25 O utinam tandem nos nobis restituamur,  
26 ut saltem pauset cartula fessa diu !

104 AD EUM QUI SEPE SIBI MENTITUS FUERAT

v.1 Ut venias, venias, ego mando et saepe remando.  
2 Quod venies, venies, mandas et saepe remandas.  
3 Verborum satis est, fidei nihil ; aut tua verba  
4 committam ventis, aut verba fides tueatur.

105 AD EUM QUI TABULAS EI PROMISERAT

v.1 Rumores de te frater mihi rettulit unus,

2 quos ego complector colloquiumque precor.  
3 Rettulit ipse mei quoniam non immemor esses  
4 meque salutando, mox tua verba dedit.  
5 Rettulit ipse mihi quia me vehementer amares  
6 meque semel visum pectore congereres.  
7 Rettulit ipse mihi quia, si tibi fidus adesset  
8 portitor, ipse mihi dirigeres tabulas.  
9 Suscepi gaudens quicquid mihi rettulit ex te  
10 jamque rependo tibi foedus amicitiae.  
11 Ecce salutantem me verbo te resaluto ;  
12 si tamen alludas versibus ipse meis,  
13 verbaque carminibus, verbis quoque carmina junxi,  
14 ut saltem placeam quolibet ipse modo ;  
15 et precor ut detur locus alter colloquiorum,  
16 ut sic te nostris contigues oculis.  
17 Ergo per hunc nostrum mihi dirige, quaeso, tabellas,  
18 dirige quae deceant ut mihi plus placeant.  
19 Si vero quaeras proprie cui dirigo carmen,  
20 clausula signat in hoc quod gerit : "Odo, vale".

106 DE EQUO POSTULATO ET NON DATO

v.1 Ut mittamus equum, ratio non postulat aequum.  
2 Sed tibi conducti sim spes et causa vel empti.

107 AD EUM QUI SIBI INIMICABATUR

v.1 Quandoquidem nequeo, quod me gravat, unicus esse  
2 immo nemo potest unicus esse tibi -  
3 sim saltem decimus vel quilibet inter amicos,  
4 sim cui digneris : "Huc ades ! " innuere.  
5 Quem tu pluris habes, habeamus pluris et ipsi :  
6 Talpa tibi pluris, pluris et ipse mihi.  
7 Ut tibi gratificet, me Talpae gratificabor,  
8 quippe tuo Talpae nulla negare potes.  
9 Nulla negare potes cui jam tua cuncta dedisti.  
10 Talpa satis faciet te mihi propitium.

108 AD AMICUM CUI CARTAM MITTEBAT

v.1 O utinam legatus ego meus iste fuisset  
2 vel quam palparet cartula vestra manus,  
3 et mihi qui nunc est tunc idem sensus inesset -  
4 sed neque me nosses donec ego cuperem !  
5 Tunc explorarem vultumque animumque legentis,  
6 si tamen et possem me cohibere diu.  
7 Cetera propitiis diis fortunaequae daremus  
8 nam Deus ad veniam promptior est homine.

v.1 Ut quondam favit, mihi si modo musa faveret,  
 2 vos etiam solitis versibus alloquerer.  
 3 Sed mens a solito paulatim deperit usu  
 4 deperit affectus, cum labor est sine re.  
 5 Olim cantor eram, sed eram sine nomine cantor,  
 6 cum vos ad patriam detulit hora meam :  
 7 aut enim Deerat nobis auditor amicus,  
 8 aut magis auditor invidus omnis erat.  
 9 Excitur studii per vos vigilantia nostri  
 10 meque coegistis amplificare stilum.  
 11 Carmina vester amor me scribere multa coegit  
 12 atque coegit me scribere laudis amor.  
 13 Vos vice condigna recitastis carmina nostra  
 14 et dilatastis nomen ubique meum.  
 15 Pro dolor, a nobis vos infortunia saeva  
 16 vobiscumque jocos eripuerunt meos.  
 17 En vix obliquo me musa revisit ocello  
 18 et ructare duo carmina vix valeo.  
 19 Credite, vobiscum fugiens mea musa recessit,  
 20 carmina vobiscum delituere mea.  
 21 Extunc incedo reptans sermone pedestri :  
 22 ergo pedes vadam, cum mihi desit equus.

v.1 Ipse paras reditum patriosque revisere fines,  
 2 visurusque tuos ipse paras reditum.  
 3 Ipse paras reditum quia res expostulat illud -  
 4 quod tamen avertant dii meliore via.  
 5 Aut nos o utinam res una reduceret ambos  
 6 aut quod me retinet te retineret opus !  
 7 Nunc tantum lacrimas mihi discedendo relinques  
 8 tuque flues lacrimis condicione pari.  
 9 Nos tamen id pascat quod pascere debet amicos :  
 10 tristi succedet, nec mora, laeta dies.  
 11 Semper speremus, sperantes id replicemus :  
 12 tempora propitii dii meliora dabunt.

v.1 Ad me fallendum fallax venit simulacrum  
 2 utque sibi praestem supplicat Ovidium.  
 3 Pendulus a collo pedibusque cubando volutus,  
 4 in quascumque velis vertitur effigies.  
 5 Abnuo, sed fallor : nam quem non fallat Ulixes ?  
 6 Obtinet ad tempus reddat ut ipse meum  
 7 et puto quod magica me tandem eluserit arte :  
 8 importuna meis auribus insonuit.  
 9 Hunc tamen et fidei nimium reor esse paternae

10           mentirique potest verba fidemque suam.  
11       Cautus adulator, vestigia nostra tenebat,  
12           affigens plantis oscula multa meis.  
13       O utinam verum juraverit, ut mihi reddat  
14           quem male decepto sustulit Ovidium !

112

AD THEOBALDUM PEDAGOGUM

v.1       Fecisti caute, sed nolo dicere : laute,  
2           sitque licet laute, dicere nolo tamen.  
3       Consilium non laudo tuum : mihi displicet illud,  
4           utpote sollicito de pueri solido.  
5       Caute fecisti, quia Graeculus ille redivit,  
6           totus adulantis ore loquens Sinonis.  
7       Quem non decipiat fraus patris, fraus genuina ?  
8           Jam tamen iste puer fraude patri superest.  
9       Hic ad me venit, me per sua verba fefellit  
10           emunxitque meo me sibi denario.  
11       Quaeso, ne redeat ; semper, Theobaude, tuus sit ;  
12           non mihi dimidies ; immo, habeas proprium.  
13       Nam puer iste tuus sic servit, taliter instat  
14           ut cui servierit nemo refellat eum.  
15       Hinc est quod quidam vocat ipsum more parentis  
16           falso "belle nepos", sanguinis alterius.  
17       Jam tibi pro puero labor est subeundus eundi,  
18           ut dominum facias hunc remanere domi.  
19       Non hunc pro solidis facias ubicumque vagari ;  
20           ipsius debes ipse subire vices.  
21       Sed te nescio quid Corydona novum simulavit  
22           ingratumque facit te tua rusticitas.  
23       Sic quoque te labens induruit annus et annus,  
24           ut sulcet faciem plurima ruga tuam.  
25       Ergo, quam dixi melius sapis, Ovidiane :  
26           jactas qui numquam fallitur accipitrem.  
27       Fac igitur quod agis ; bene rem, Theobaude, notasti  
28           exeat in campum vincere qui poterit.  
29       Qui servire potest scit se quoque gratificare :  
30           serviat et videat ne vacuus redeat.  
31       Serviat et videat qui munera digna rependat,  
32           cujus larga manus digna coaptet ei.  
33       Cum tamen exierit, hunc objurgando coerce  
34           ne nimis excedat transiliatque modum.  
35       Non eat ultra fas animosior hostis in hostem,  
36           fortunam timeat ut sibi non faveat.  
37       Vadat more ferae crudelis miles in arma ;  
38           hunc timor est ut mors obruat anticipans.  
39       Iste nimis properus sibi vult acquirere nomen,  
40           monstrari digito promptus in arma cupit.  
41       Acer et indomitus nimis efferus est cohibendus :  
42           aetas et tempus nomen ei facient.  
43       Ergo, suis parcat teneris paucisque diebus,  
44           ne puer in primis obruat auspiciis.  
45       Sed tu, cui rediens stipendia cuncta rependit,  
46           non curas quid agat, sed loculos repleat.

47 Sic ego non laudo, sed, si vis credere nobis,  
48 parcius et propius vadat in arma puer ;  
49 sic eat ut valeas custos suus esse comesque,  
50 ut super hunc vigilet sollicitudo tua.  
51 Semper enim timeas ut eum pedagogus omittas,  
52 quo sine non poteris vivere - sive mori...

113

AD PUERUM MIRANDI INGENII

v.1 Plurima fama refert quibus ut credamus oportet,  
2 et procul a vero plurima fama refert.  
3 Fama quidem nostra, Petre, te celebravit in aure,  
4 o utinam sic te res faciat celebrem !  
5 O utinam de te nil rumor dixerit anceps,  
6 sis talis qualem te mihi fama refert.  
7 Non natura tibi, sed nature moderator,  
8 quod sit mirandum praestitit ingenium.  
9 Effugit illa tuum tantummodo littera pectus  
10 quam non doctorum spiritus exposuit.  
11 Quod stilus ipsorum scrutari non dubitavit  
12 tu quoque scrutaris pervigili studio.  
13 Quod legis aut audis memori sic mente retractas  
14 ut recitantem te nil queat effugere.  
15 Si placeat metricis alludere cuilibet odis,  
16 odis alludis cuilibet egregiis.  
17 Sicut et audivi, jamjam facundia tantum  
18 ut vivas Cicero nunc tibi suppeditat.  
19 Miror, et est mirum, quod in his sic enituisti,  
20 rursus et in multis quae locus hic reticet,  
21 immo quod aetatem teneram sic exsuperasti  
22 ut juvenis canos jam doceas homines.  
23 Hos aetas aditus si centenaria posset  
24 impetrare sibi, grande quidem fuerat.  
25 Vel modicum citra, vel jam quindennis, adeptus  
26 es bona tot pariter, Petrule, dante Deo.  
27 Quippe tuis meritis non debes id reputare,  
28 sed sua qui gratis dat, dedit atque dabit.  
29 Ipse nec invideo nec iniqui garrigo more,  
30 sed grates gratas immolo, reddo Deo.  
31 Laetor et exulto, congaudeo suscipienti  
32 et dico : "Danti gloria summa Deo !"  
33 Tu quoque cui vel quem cantat mea pagina praesens,  
34 assenti mecum dicque Deo quod ego.  
35 Extolli noli neque praestes laudibus aurem,  
36 quatenus ipsa tuis attribuas meritis.  
37 Suscipe dona Dei gratanter gratificando  
38 ipsum te gratis qui dedit ista tibi.  
39 Sic etenim faciens non spernes simpliciores,  
40 tu quoque provectu supplice proficies.

114

AD BERNERIUM MONACHUM



v.1 Berneri noster quem fama benigna perornat,  
2 nostrum suscipias ipse benignus ave.  
3 Ipse benignus ave rescribas, quaeso, roganti ;  
4 quaeso, rescribas, attamen ipse veni.  
5 Si quod rescribes nostra recitabis in aure,  
6 versibus inde tuis gratia major erit.  
7 Colloquium de te, de te desidero carmen :  
8 ut neutrum desit, illud et illud agas.  
9 Olim de nostro quod scripsi flendo nepote  
10 tempus abit quod habes ; ergo remitte mihi.  
11 Illud enim tantae fore judico simplicitatis  
12 ut nihil hoc habeat cur relegatur opus.

115 PROPTER EUM QUI NON REDIBAT

v.1 Miror nec valeo mirari sufficienter  
2 quare non properus rediit meus ille Johannes,  
3 qui se continuo jurans pepigit rediturum.  
4 Vel puer aegrotat, mihi vel subducitur amens :  
5 amens, si puero suberunt obliviam nostri,  
6 ac si tres biberit Lethaei fluminis haustus.  
7 Inconstans puer est, inconstans quaeque juvenus.  
8 Hoc mihi scire licet : sine causa non pigritatur.  
9 Nusquam tutus homo, nusquam satis acceleratur,  
10 si quicquam tamen acceleres animo cupienti.  
11 Id saltem faciam : superexspectabo Johannem  
12 spectantique mihi superassociabo timorem.

116 AD QUEMLIBET

v.1 Quod volo factururus, venias quod vis habiturus ;  
2 nil mihi praecipuum nisi tibi complaceat.  
3 Nam tibi si placeat quod habet mea tota facultas,  
4 id mihi tunc demum feceris egregium.

117 AD MAIOLUM

v.1 Tu quoque partem habeas in carmine, Majole, nostro.  
2 Ergo tibi dicat pagina nostra vale,  
3 Te, si quid valeat, mecum mea musa perennet,  
4 te quoque perpetuis perpetuet titulis.  
5 Laetetur de te referens insignia codex,  
6 tu decor atque decus codicis esto mei.  
7 Olim te vidi, vidi voluique videre  
8 ipseque te viso plus mihi complacui.  
9 Plurima conjicimus de nobis pauca loquuti,  
10 multa venustavit littera colloquia.  
11 Enituit morum subito dulcedo tuorum  
12 moxque mihi mores complacuerunt tui ;  
13 et, puto, nobilitas altissima sanguinis alti

14           depingit mores nobilitatque tuos.  
15       Ipse salutatus tandem te triste recessi,  
16           teque salutato tristis ego redeo.  
17       Ex tunc ipse tui non immemor orton et opto  
18           et precor exoptes altera colloquia.  
19       Interea, quod vis nostra de parte jubeto ;  
20           indigus esse tibi, Majole, non potero.  
21       Si prior insistat metricis alludere ludis,  
22           alloquar hunc ludis, si jubeas, metricis.  
23       Si quoque dignetur sibi carmina nostra Chotardus,  
24           si jubeas, metricis hunc onerabo modis.  
25       Propterea taceo nostro de fratre Blaino :  
26           omnia nam sua sunt carmina quae mea sunt.  
27       Ergo, salutatis Hugone, priore, Blaino  
28           fratribus et reliquis, amplius ipse vale ;  
29       immo magis valeat quem plus amo, verius et qui  
30           de vobis poterit dicere : "Plus amo te".

118                   ALLEGORICE DE QUOLIBET

v.1       Quartus adest nostris internumerandus amicis  
2       Teucer, quem quartum praeposterus inserit ordo.  
3       Ordine quintus erat, sed dum res anticipatur,  
4       fit subito quartus qui quintus debuit esse.  
5       Perdidit ergo locum, quia lentus distulit horam,  
6       ergo quintus erit, quem quartum praenumeraram.  
7       Sic fortuna potens hominum praeposterat actus :  
8       non sumus in nostris, miserandus homuncio, votis,  
9       quippe quod optamus numquam stabilire valemus.  
10       Aut fatum nostras res, aut fortuna ministrat.  
11       Fortunam ergo bonam, felicia fata precabor ;  
12       non erit infelix horum cui praesidet alter.  
13       Horum, quaeso, mihi sit praesul uterque vel alter.  
14       Ista secundabunt pia numina vota precantum,  
15       compatientur enim causis clementer egentum.  
16       Ante deos omnes istos mihi conciliabo.

119                   DE QUO SUPRA

v.1       Carmen heri cecini quod me cantare coegit  
2       spes mea, plus velox velox quam debuit esse.  
3       Nam cecini factum quod vellem posse futurum,  
4       sperans fortunam pro velle meo moderandam,  
5       quippe quod optabam contingere posse putabam.  
6       Sic etiam multos spes optativa fefellit,  
7       cum properi sperant contingere posse quod optant :  
8       tales anticipant frustra sine tempore tempus  
9       praecipitesque ruunt optati turbine voti.  
10       Ut ruit in praeceps a montibus eruta rupes  
11       quam procul abducunt declivia longa ruentem,  
12       non scopuli cohibent, obstacula nulla coercent,  
13       sic mea sic praeceps nec tempestiva voluntas

14       spem votumque meum veluti promovit in actum  
15       quo desiderii votivi spes inhiabat,  
16       me quoque supra me transvexit inanis in altum,  
17       quod res ipsa magis calamo commissa probabit.  
18       Carmen heri nostrum nostris ingessit amicis  
19       Teucrum, quem nostrum spe colloquioque dicaram.  
20       Nil mihi de Teucro praeter spem colloquiumque  
21       tempus adhuc dederat ; tantum sperare licebat ;  
22       spesque fuit tanti quanti res ipsa fuisset.  
23       Qua spe tutus ego, tuti quoque more loquutus,  
24       mox Teucrum nostris specialibus adnumeravi.  
25       Attribuitque gradum mea protinus optio quartum  
26       et qui quartus erat dilatus in ordine quinto est,  
27       quartum quippe gradum sibimet speraverat alter.  
28       Teucrum colloquio placuit temptare secundo.  
29       Durus hebesque fuit, sua dicta incongrua nostris.  
30       Obstupui, fateor, idem vir cum fuit alter :  
31       alter erat verbis, habitu quoque corporis idem.  
32       Id quod dixit heri nescit, negat, abnuit, odit.  
33       Displicuit facilis gravis inconstantia Teucris  
34       et mihi me cepi vehementius impropere,  
35       incircumspecta qui favi cuilibet aure.  
36       Nunc igitur Teucrum de pectore deleo nostro :  
37       quem sibi contuleram tollatur ab ordine quarto.  
38       Nec posthac nostris superapponetur amicis,  
39       sub nulloque mei monumento vivat amoris.  
40       Non ultra facilem praebebo cuilibet aurem,  
41       nec cuiquam subito de quavis plebe favebo  
42       edoctusque per hunc mihi cautius invigilabo.

120

ITERUM DE EODEM

v.1       En iterandus adest iterato carmine Teucer  
2       dissimilem sibimet quem bis ego cecini.  
3       Est sibi dissimilis qui mentem mutat in horas,  
4       ut, quicquid modo vult, mox quoque nolit idem.  
5       Iste fuit nostris adjectus nuper amicis,  
6       debuit et quartum quintus habere gradum.  
7       De Teucro cecini carmen tunc anticipatum :  
8       quod cecini, tantum spes mihi contulerat.  
9       Meque frui Teucro speciali rebar amico  
10       et factum dixi quod poterat fieri.  
11       Talis erat Teucer, sed Teucer mox fuit alter  
12       et de corde meo destituendus erat.  
13       Spem mihi mutavit quia se mutaverat ipse  
14       et transgressus erat foedus amicitiae.  
15       Invehor in Teucrum solitis circumdatus armis :  
16       armatura mihi nostra camena fuit.  
17       Et mox, alterius genus intrans materiei,  
18       ipse priora citus carmina dececini.  
19       Ilico castra movens contra puerilia facta,  
20       inspico nostros in puerum cuneos.  
21       Exspes de Teucro, Teucris quoque foederis expers,  
22       diverti nostrum mox alias animum.

23 Intentusque aliis, Teucrique incurius ipse,  
24 nusquam de Teucro sollicitabar ego.  
25 Contigit ut Teucer rediens accederet ad me  
26 et mihi servitium protulit ultro suum.  
27 Quis sanae mentis oblata cupita recuset ?  
28 Nec fuit indignum supplicis obsequium.  
29 Ergo, correctum se factis testificatus,  
30 continuo Teucer promeruit veniam.  
31 Quis se testanti culpam veniamque petenti  
32 pectoris humani duruit ad veniam ?  
33 Et venialis erat, quia momentaneus error  
34 atque juventutis propria mobilitas.  
35 En de converso laetamur deque reverso  
36 et Teucro quartum reddimus ecce gradum.

121

AD MUSAM PER YRONIAM

v.1 Musa, revise tuum post longa silentia vatem !  
2 Quod sileo, pudor est ; pudor est, si vixero mutus !  
3 Suggere, si quid habes : si suggeris, ilico dicam  
4 nec, si forte velim, me jam cohibere valebo.  
5 Ut loquar ipsa facis ; si desinis, ipse silebo.  
6 Dum libet atque vacat, saturas scribamus et odas  
7 atque diem laeti studio praestemus utrique.  
8 Sed quia solaris jam centrum transmeat axis  
9 et sol occiduas properat sitibundus ad undas  
10 quadrijugesque sui pennas recreare praeoptant,  
11 parcamus nobis et demus membra sopori :  
12 nam cras, exhausti satie somnoque refecti,  
13 ad studium prompti cantabimus uberiores.  
14 Interea, calamos puer apparet atque tabellas,  
15 ne cras impediat scripturos mucida cera.

122

CONFESSIO POENITENTIALIS

v.1 Cogor ad externas male providus ire tenebras ;  
2 sensus hebet, sanguis alget, praecordia frigent,  
3 deficit ingenium, cutis aret, mens hebetatur :  
4 mortem signa solent haec diurnare propinquam.  
5 Infelix, quid agam, qui jam considero mortem  
6 et necdum morti sum respondere paratus ?  
7 En exactores aderunt post funera duri ;  
8 quod male commisi referet sua cautio totum.  
9 Pauper et impos ego, tot debita quomodo solvam ?  
10 Extremum siquidem constringar adusque quadrantem.  
11 Illud ego faciam quod fecit rex Ezechias :  
12 effundam fletum cordis conversus ad ipsum  
13 quem paries luteus - nostrae susceptio carnis -  
14 nobis praesentat, formam deitatis obumbrans.  
15 Disponam domui, donec disponere possum :  
16 nam domus est animae corpus, quod et incolit ipsa  
17 vivificatque simul, donec dirimatur ab ipso ;

18       cui male disposui, donec sub crimine vixi.  
19       Pulsabitque meum querimonia sedula Jesum,  
20       Hunc quoque placabo labiorum ture meorum :  
21       est placare Deum precibus, vitulis labiorum  
22       prostratusque solo, vestigia sancta tenebo,  
23       flendo rigabo pedes et tergam crine rigatos.  
24       Adjiciam unguentum : miserebor enim miserorum.  
25       Ille pedes unguis Jesu, qui scit misereri ;  
26       nemo Deum propius tangit quam qui miseretur.  
27       Quod, referente Deo, patuit de Samaritano,  
28       qui de Jerusalem descendentem peregrinum  
29       in Jericho, graviter plagatum, despoliatum,  
30       jumento imposuit, clementer vulnera fovit,  
31       in stabulum duxit, impensas largas adauxit,  
32       quem levita videns sprexit pariterque sacerdos.  
33       Quare laudatur prae cunctis Samaritanus  
34       et, quia laudatur, simile ad paradigma vocamur.  
35       Quod sequar exemplum : miserebor enim miserorum  
36       sed, miserandus homo, numquidnam Samaritano  
37       non magis indigeo quam me commetiar illi,  
38       vulnera quem multa profligant inveterata,  
39       qui penitus sordet, ulcus quem putre remordet,  
40       quem desperatis fert antiquata cicatrix,  
41       quem magis ad mortem trahit innumerabile crimen,  
42       cujus plaga tumens saniem virusque refundit,  
43       cui, nisi subvenias, mors immedicabilis instat ?  
44       Sed mihi, quaeso, Deus, bonus esto Samaritanus,  
45       vulneribus medicare meis, medicina salutis,  
46       vina superfundas, miserans oleum superaddas  
47       ad cujus nutum stillavit flumina saxum,  
48       ipse meis oculis fontem tribuas lacrimarum :  
49       bis Moyses silicem, tu cor semel incute nostrum.  
50       Coram te jaceo, tibi cum singultibus adsto ;  
51       id tantum dico : "Miserere mei, miserator",  
52       et non deficiam velut altera flendo Maria,  
53       donec salvator responderit ore sereno :  
54       "Multa remittuntur peccata tibi, quia multum  
55       me dilexisti. Surgens in pace recede".  
56       Extorquebo mihi veniam veniamque merebor :  
57       vim patitur caelum, violentia vendicat illud.  
58       Et cui peccatur est indulgere paratus ;  
59       quaerit cui dicat : "Peccasti ; parco, quiesce".  
60       Ergo a peccato, domino praeunte, quiesco  
61       et quod promerui lacrimis precibusque piabo.  
62       Quae peccata tegant mihi vestimenta capessam :  
63       cujus enim tegitur peccatum, quisque beatus.  
64       Delens delebo quod iniquus scripserat hostis  
65       et quod scire putat faciam nescire malignum.  
66       Quam pudibundus erit, quando librum reserabit  
67       atque ignorabit quod scribens saepe relegit !  
68       Sic modicus fletus libros oblitterat ejus  
69       et quam non tangam possum delere lituram.  
70       Ergo, peccato peccator quisquis adhaeres,  
71       quem juvat obscaeni stercus paedorque grabati,  
72       exue peccatum, foetens postpone grabatum.  
73       Dedecus et pudor est foedos patiaris odores,

74 praesertim facile cum possis hos remove  
75 nectareoque Dei deceat pascaris odore,  
76 omnia cujus odor opobalsama vincit et ornat.  
77 Quid male sanus ago ? Certe praesumo videnti  
78 per diverticulum caecus praebere ducatum.  
79 Me modo plangebam, plangendus et ipse dolebam :  
80 hinc est exortum quod scribo lugubre carmen.  
81 Nec correctus ego, sed foetens corrigo quemquam ;  
82 ex oculo fratris festucam educere conor  
83 inque meo non grande trabis considero robur.  
84 Qui nimis excessi, conitor ad orsa reverti :  
85 me sapiat quicumque meis profluxerit humor  
86 ex oculis, quicumque meus me sermo loquatur.  
87 Excedunt peccata modum, mihi quae dominantur :  
88 nam quid non egi, malus et varicosus haruspex ?  
89 Totum flagitii, miserandus homuncio, feci :  
90 sum latro, sacrilegus, perjurus, fur, homicida,  
91 in quantum potui, nec falsa loquar, deicida,  
92 mendax, pomposus, sodomita, cinaedus, adulter,  
93 ebrietatis amans, exosor sobrietatis,  
94 prodigus et parcus, simulator, luxuriosus,  
95 ad bona sum lentus, mala semper ad omnia promptus,  
96 fallax, falsiloquus, verborum leno meorum,  
97 invidus, obscaenus, impurus, perfidus, atrox,  
98 scurra, vafer, nequam, fratrum violator amoris :  
99 omnia quae maculant miseros contagia feci.  
100 Ut quoque peccarem, causas peccator emebam,  
101 namque facultatem peccandi prodigus emi  
102 atque ut peccarent renuentes saepe coegi.  
103 Sic mea culpa modum (per)transit et intumet ultra.  
104 Sed tu, qui modus est, cohibe peccata potenter :  
105 de Saulo Paulum multa virtute patrasti.  
106 Da mihi ne detur peccandi saeva facultas,  
107 da mihi ne possim, da nolim, da cor amarum,  
108 da mihi peccati transacti paeniteat me ;  
109 has mihi da lacrimas, quarum est exstinguere flammam.  
110 Libamen gratum tibi sit cor contribulatum :  
111 contribulatus ego tibi me, Deus, immolo totum.  
112 Quod tibi sit placitum, mihi velle et posse ministra :  
113 quae vis, ipse velim, quae non vis, omnia nolim.  
114 Ne me despicias : ego sum tibi filius ille,  
115 qui pavi porcos in longinqua regione.  
116 Tota paternarum mihi reddita portio rerum,  
117 quam, te dante, pater, et me poscente, recepi,  
118 in meretricales periit dispersa tabernae.  
119 Ecce, pater, redeo nec debeo filius esse,  
120 qui quod contuleras deformiter omne voravi.  
121 Fac me servorum conservum, quaeso, tuorum.  
122 Vestra, pater, bonitas et munificentia larga  
123 ad te me revocant exempla quoque multa tuorum :  
124 nemo redit vacuus, qui te devotus adivit.  
125 Nam video Petrum, Cananaeam, centurionem,  
126 caecum importunum, nec praetermitto Jairum  
127 nec quam profluvium bis ter tribus impulit annis,  
128 innumerosque alios bonitate tua cumulos.  
129 Nemo redit vacuus, nisi poscere qui pigritatur.

130 Dives es atque potens : potes accelerare quod opto.  
131 Et tua me bonitas quare pateretur inanem ?  
132 Ecce petam, quaeram, pulsabo, donec ad aures  
133 ascendant mea vota tuas faveasque petenti.  
134 Ut loquar audenter : miserere mihi, quia debes,  
135 tu, pater ille meus, quem praecinit ille juvencus,  
136 ille saginatus diva pinguedine plenus,  
137 nati pro reditu jussu patris jugulatus :  
138 ejus mysterii tu res, tu victima vera.  
139 Me fac ergo tui convivam corporis esse  
140 proque meo reditu vultu laetare paterno.  
141 Redde stolam primam : castam des integritatem,  
142 quatenus ipse tuos merear sociare togatos.  
143 Anulus in digito sponsalia signa profatur :  
144 hunc mihi redde, precor, hujus da foederis arras.  
145 Munimenta pedum veterum sunt facta priorum,  
146 quo sequar et pergam, mihi qui praeendo loquuntur.  
147 Carne soluti sunt animalia decoriata :  
148 hi mihi dantes spem faciunt sperare timentem.  
149 Ergo, pater, miserere mei, miserere, redemptor,  
150 et tua plus bonitas mihi prosit quam meus obsit  
151 pristinus error ; ovis quae desipit est repetenda.  
152 Quod potes et debes et quod peto, fac mihi totum.  
153 Symphoniam atque chorum celebret tuus ille senatus  
154 et colletetur tua curia pro redivivo,  
155 ut de converso laeteris deque reverso.

123 PRO GRATIARUM ACTIONE

v.1 Qui mihi das lapidem multo sudore politum,  
2 praemia jam recipe quae labor emeruit.  
3 Est altare Deo lapis iste repente dicandus,  
4 quem super aptetur hostia viva Deus.  
5 His sacramentis te participare rogabo ;  
6 ut quoque participes, ecce tibi faveo.  
7 Si meliora velis ex me tibi munera, certe  
8 quae meliora velis munera non habeo.

124 CIRCA LAPIDEM ALTARIS SUI

v.1 Hunc typicum lapidem lapidi simulamus eidem  
2 quem typice vivo Jacob perfudit olivo

125 CIRCA CRUCIFIXUM

v.1 Nec Deus est nec homo, praesens quam cernis imago,  
2 sed Deus est et homo, quem sacra figurat imago.

v.1 Si mihi favisset vultu fortuna secundo,  
2 auxisset vitae commoda pauca meae.  
3 Ipsa dedit quaedam, quae non ingrata repenso -  
4 ad modicum poterant haec satis esse mihi.  
5 Nam de litterulis esset mihi copia major  
6 dictandique foret musa benigna mihi,  
7 qualis Marbodo vel qualis inest Godefredo,  
8 qualis pontifici copia Biturico.  
9 Et quae dictassem nossem mandare lituris,  
10 et mihi sufficerent et stilus et tabulae,  
11 et mihi cantanti vox dulcis et alta fuisset  
12 atque manus lentis apta foret fidibus.  
13 At socios hilares felix fortuna dedisset  
14 secretasque domos a nimio strepitu.  
15 Sim formosus ego nec sit formosior alter  
16 nec me zelantum fascinet obloquium.  
17 Attamen inveniam mihi qui respondeat apte,  
18 qui mihi rescribat, scribere si placeat.  
19 Sit procurator puer ad mea vota paratus,  
20 qui properus tabulas praeparet et calamos,  
21 qui domui praesit, ne nobis otia desint,  
22 atque supellex sit, quae mihi sufficiat.  
23 Nolo nimis sterilem, nolo quoque rem nimis amplam  
24 privatus, nec inops, esse nimis cuperem.  
25 Atque situ proprio domus ipsa suos recrearet  
26 et statio dominis esset amoena suis :  
27 vitreus ut nostro fons ebulliret in horto,  
28 quem mihi pampinea porticus obtegeret,  
29 allueretque meum refluis anfractibus hortum,  
30 humectaret humum rivulus aurifluam ;  
31 unda mihi somnos exciret murmure rauco  
32 nec furtiva nimis, nec nimis obstreperet.  
33 Arboreos fetus pareret mihi terra quotannis,  
34 quaelibet ut possem carpere mala manu.  
35 Saepibus in nostris pernox Philomela maneret,  
36 antiquos fletus et querulos replicans.  
37 Nec mihi fur esset rebusve meis metuendus ;  
38 nocte dieque forent omnia tuta mihi.  
39 Gramina praeterea quaterent pede grata petulco  
40 agni bis septem cum totidem capreis ;  
41 hi mihi ludentes coitu sua proelia temptent  
42 frontis adhuc levis et pedis instabilis  
43 oblectentque meas gratis balatibus aures,  
44 cum totidem matres utraque gens revocet.  
45 Atque bis ad mulctram veniant ex gramine sponte  
46 distentae matres ubera lacte gravi.  
47 Et tegeti nostrae non desint quinque juvencae,  
48 caseus unde mihi, lac quoque sufficiat.  
49 Sint juga pauca boum : satis est, si quatuor olim  
50 exossata boves arva mihi dirimant.  
51 At si bruma rigens nivibus superinduet arva,  
52 dante manu nostra pabula suscipiant ;  
53 ad potum mane salis irritabo sapore,  
54 utque bibant melius nocte dabo paleas.



55 Prataque sint juxta, quae purior abluat unda,  
56 herbas et flores quae mihi prognerent.  
57 Unus in aede mea gallus bis quinque maritet  
58 uxores, noctis excubias celebrans.  
59 A Laribus nostris procul importuna recedat  
60 muscarum turba nec minus et pulicum ;  
61 sitque procul serpens, bufo, mus atque lacertus,  
62 et nil possit apes maestificare meas.  
63 Optaboque lacum, cujus fluat unda salubris,  
64 tendam ubi rete meum, tendere si libeat.  
65 Nec lacui desit stagnatilis utraque praeda,  
66 nec reti desit praeda vel accipitri.  
67 Absit rana loquax et longo pallida morbo  
68 nec somnos adimat nocte dieve mihi.  
69 Aedibus a nostris absistat aranea pregnans,  
70 nec foris aegra palus gressibus officiat.  
71 Nec mihi librorum nec desit copia chartae  
72 excerptamque legens charta quod excipiat.  
73 Tempora temporibus curasque eludere curis  
74 sic attemptarem, taedia ne paterer.  
75 Castaneas det hiems, autumnus coctana glauca -  
76 sed quae lanugo primitus exuerit - ,  
77 mitia poma simul, quae possint fervida cenam  
78 reddere majorem et frigora decipere.  
79 Vinum nox nobis hiemalis misceat album,  
80 haustum productas quod breviet tenebras ;  
81 argenti puri crater mihi misceat haustum,  
82 ut, quando bibero, conspiciar dominus.  
83 Plumaque sit mollis, quae fessos recreet artus,  
84 lodix et vestes ver mihi continent.  
85 Sitque mihi solus, qui ligna ministret, asellus ;  
86 isque bis a silva, quae prope sit, redeat.  
87 Quercus onusta sues foveat mihi, fraxinus ignes  
88 vel fagus ligni nescia fumiferi.  
89 Callidus in dictis, in factis providus essem  
90 nec me concuteret amplior ambitio ;  
91 nullus felici posset mihi casus obesse  
92 nec mihi quod nollem quidlibet ingrueret,  
93 ut quovis oculo spectarem res aliorum  
94 Democriti socius vel comes Heracliti,  
95 quorum Democritus ridebat res miserorum  
96 Heracliusque oculis semper erat madidis.  
97 A studiis vero nil posset me revocare,  
98 ni vellem lassus cedere laetitiae.  
99 Sintque mei mores concordet et sociorum,  
100 ne lateat nostra maeror in aedivula.  
101 Et fortunatis sit in aedibus unus et alter  
102 qui me comportet quandoque mitis equus ;  
103 solus enim leporesve sequi dammasve fugare  
104 non possem : quare praesto sit alter equus.  
105 Sitque soror mulier carum paritura nepotem,  
106 qui mihi post annum sit jocus et cithara ;  
107 praeludat vacua mihi parvus Iulus in aula,  
108 quem soror atque meus villicus ediderint.  
109 Sit mihi casta domus, mens casta, cubile pudicum,  
110 deturpet thalamum nulla libido meum.

111 Haec quoque vel melius mihi si, fortuna, dedisses,  
112 haec satis ad praesens esse mihi poterant.  
113 Nunc mihi majorem tempus commisit honorem ;  
114 spero tamen totum velle deesse mihi.  
115 In turba quid honor, nisi tantum nomen honoris ?  
116 Velle tuum periit, si sub honore jaces.  
117 Perde voluntatem, quisquis conscendis honorem :  
118 Nam cave ne facias amodo quod cupias ;  
119 perdere qui te vis, merito deberis honori :  
120 ne sis ipse tuus, hoc tibi tollit honor.  
121 Esse meus pauper et sic mihi vivere mallet  
122 quam mihi non vivam dives ego alterius.  
123 Quid prodest etenim, si totus sit meus orbis,  
124 quodque mihi placeat edere non liceat ?  
125 Sic astringor ego : non audeo quod volo velle ;  
126 de facto siquidem mentio nulla mihi.  
127 Monstrarer digito tamquam sine nomine monstrum,  
128 si quicquam turbae displicitum facerem.  
129 Mille subibo cruces, si quid praesumpsero plus quam  
130 asseculae nostri praecipiant lateris.  
131 Affigor cunctis speculum velut edita turris  
132 abscondique volens multociens videor.  
133 Ortus aurorae rumor novus anticipabit,  
134 si quid secreti cuilibet exposui,  
135 hac igitur cupias, homo, paupertate beari,  
136 ut tuus esse queas nec nimis indigeas,  
137 quam situs in sceptris, spectabilis undique cunctis,  
138 dives opum vivas indigeasque tui.  
139 Vere paupertas mediocris vita beata,  
140 cum domus est domino pacificata suo.  
141 Hanc mihi, quaeso, Deus, magno pro munere praesta  
142 et longum vivam nec senium patiar.

127 DE EO QUI SABBATO CARNEM RECUSAUIT

v.1 Sabbata custodis tamquam Judaeus Apella,  
2 cum tamen alterius legis iter teneas.  
3 Observare dies non est et tempora nostrum -  
4 Judaeus curet pallidus hos apices.  
5 Nil est inmundum, nil est commune penes nos,  
6 dumtaxat totum quod volumus facimus.  
7 Tu vero refugis per sabbata tangere carnes ;  
8 nobis est licitum tangere quas volumus.  
9 Ergo, si nostrae vis legis participare,  
10 amodo Judaicum pone supercilium.  
11 Senti nobiscum, promittas id faciendum  
12 quod faciunt fratres, fratribus ipse favens.  
13 Aut igitur veteris sectae praecepta sequaris,  
14 aut carnes aliquas tangere non renuas.

128 DE EO QUI AMICITIAM INTERRUPERAT

v.1 Pacem rupisti, foedus pactumque scidisti  
2 et modo dividimur, qui fueramus idem.  
3 Te quoque, te laesi laedunt contagia pacti ;  
4 quam bene conservo polluis ipse fidem.  
5 In patulo res est, quae res te separat a me :  
6 jam nimis alta sapis ; haec mihi causa nocet.  
7 Tu mihi solus eras, neque soli sufficebam,  
8 quippe mei senuit vena magisterii.  
9 Aut quos erudias aut a quibus erudiaris  
10 nunc tibi quaere. Meum paene refrixit opus.

129

AD AUITUM UT AD EUM UENIRET

v.1 Res monet ad nostrum quaedam scribamus Avitum,  
2 nostrum quem mores ejus peperere benigni.  
3 Ergo salutato mando sibi : "Noster Avite,  
4 huc venias ad me, venias mecumque moreris  
5 nos ut nostrorum dulcedine colloquiorum  
6 condelectemur, laetum quoque tempus agamus".  
7 Est locus, est hortus herbis consertus odoris,  
8 quem rosa, quem viola, cytissusque thymusque crocusque,  
9 lilia, narcissus, serpillus, rosque marinus,  
10 calthaque luteola, casiae flos, flos et anethi  
11 et flores alii per successiva venustant  
12 tempora, ne semper desit mihi perpetuum ver,  
13 cum quasi succedit flori renovatio floris.  
14 Rivulus est et lene fluens et lene susurrans,  
15 vivae vivus aquae qui frigidus irrigat hortum ;  
16 vitrea marmoreos interluit unda lapillos,  
17 humectans medias refluis anfractibus herbas.  
18 Arbore fructifera seriatim consitus hortus  
19 sole sub ardenti ferventes rejicit aestus  
20 et refovet grata fessos et contegit umbra ;  
21 quem siler et laurus, quem myrtus, oliva pirusque,  
22 cum ceraso pinus, cum pinu malus opacat.  
23 Huc agit antiquam pernox Philomela querelam  
24 et replicat veteres lubricata voce dolores.  
25 Huc ades ergo, puer, ut jocundemur in horto  
26 jucundoque situ recreentur pectora nostra.  
27 Vel tua cantabis vel ego mea carmina cantem  
28 et fidibus lentis aptabimus organa nostra.  
29 Multaque composui, sunt et mihi carmina multa,  
30 multa reservo tibi quae tu recitabis Alexi :  
31 saepius ipse tibi recitanti primus adhaesit  
32 urbanumque loquens urbane dicta probavit.  
33 Cantabo, si vis, versus ab origine mundi  
34 versibus informem, si vis, formabo Chimaeram  
35 si vis, in juvenum quaedam nugabimur odis.  
36 Si vis, Anglorum regis tibi proelia dicam,  
37 Guillelmi illius quem praecinit ille cometes  
38 qui plus igne micans totum perterruit orbem ;  
39 rexit rex Anglos, Normannos rexque comesque.  
40 Si vis, in thalamos illius te comitissae  
41 inducam verbis quae toti praeminet orbi ;

42       cujus ab antiquo nomen demittitur aevo,  
43       ut, si verba notes, velut "Adela" fiat ab "Adam".  
44       Caesaris illius Guillelmi filia, conjunx  
45       illius Stephani, veterum qui germen Odonum  
46       ipsis praefertur armatus sive togatus.  
47       Has tibi delicias, si vis ita deliciari,  
48       dimidiabo tibi, tibi conservantur, Avite.  
49       Ergo rumpe moras, partas ne despice mensas ;  
50       convivis onus est lentus conviva pigerque :  
51       ergo veni subito, fastidia tolle morarum.  
52       Ne nimium lentus laedas perimasve vocantem.  
53       Qualis pix manibus, nix lippis, fumus ocellis,  
54       qualis amatori piger est et lentus amatus,  
55       qualis mittenti, si mutuat otia, missus,  
56       optanti talis, dum tardas saepe vocatus.  
57       Tu mihi pix, mihi nix, mihi fumus et omne nocivum  
58       ni venias subito, nisi praeproperes veniendo.  
59       Ergo praeproperes ut convivemur ovantes.

130                   AD SUPRADICTUM AUITUM

v.1       Nomen habes ab avo ; format tibi littera mores.  
2       Moribus es qualis clericus esse solet,  
3       scilicet urbanus, alacer, jucundus, amicus ;  
4       praeterea, quicquid largius esse potest.  
5       Largius esse potest si te diviseris ipsum  
6       quam si rem propriam cuilibet attribuas.  
7       Et, quamvis aliis et rem diviseris et cor,  
8       nec mihi rem neque cor dividis ; immo vetas.  
9       Si cupis ergo mihi - cupias et quaeso - placere,  
10       corrigere te mihi dans et quod es et quod habes.

131                   DE TALPA SE REPREHENDENDO

v.1       Vae mihi, namque mei factus peregrinus et expers,  
2       oblitus sum paene mei, temulentus ut alter.  
3       Nam praetermisi praeponi quod decuisset,  
4       si mens, ut quondam, mihi circumspecta fuisset.  
5       Debueram siquidem vel de Talpa cecinisse  
6       carminibusque meis hunc in titulum posuisse,  
7       vel, tamquam mutus, omnino conticuisse.  
8       Hic siquidem noster specialis amicus, et ultra :  
9       summus amicorum majoris et utilitatis,  
10       applaudit nostris omni conamine votis.  
11       Talpa comes nostri fuit hic aliquando laboris,  
12       portio Talpa mei mea carmina saepe probavit  
13       et sua complacuit sententia judicialis.  
14       Hic ergo primas in codicis ordine nostri  
15       splendeat, in nostro recitandus saepe libello.  
16       Et Talpam replicet, Talpam mea charta frequentet  
17       ut, quicquid socors mens defraudarat amicum,  
18       fenore cum triplici jam nunc componat amico.

v.1 Factus es ecce mei socius, Guillelme, laboris,  
 2 factus es ecce meae duxque comesque viae.  
 3 Ecce recessurus a nobis suscipe grates,  
 4 quas tua magnifice promeruit probitas.  
 5 Ad praesens ergo pro munere carmina dono ;  
 6 adjiciet tempus munera carminibus.  
 7 Ad se jam nostrum post oscula quisque recedat,  
 8 alter et alterius sit memor ulterius.

v.1 Quem mensae species invitat et allicit hujus,  
 2 si conviva venis, adhibe tibi sobrietatem :  
 3 sobria verba decent et sobria mensa fidelem.  
 4 Sobrius ergo cibus tibi sit, sint sobria verba.  
 5 Christus edet tecum, si Christum vivis edendo.

v.1 Vadis ut insolitos videas, mea cartula, fastos  
 2 ut regum thalamos et comitum videas.  
 3 Vadis ut egregiam mihi gratifices comitissam,  
 4 si tamen ipsa prius gratificeris eis.  
 5 Gratificeris ei dicens : "Comitissa, valet,  
 6 reginae potius nomine digna, vale."  
 7 Haec est illius, si nescis, filia regis  
 8 Anglos indomitos qui domuit gladio,  
 9 qui sibi Normannos tollentes jura paterna  
 10 perculit ense fero subposuitque jugo.  
 11 Iste procellosas pro littore duxit abyssos  
 12 et quasi conduxit littora littoribus.  
 13 Iste, licet sumptus superaverit imperiales,  
 14 tantae plenus erat fertilitatis opum  
 15 ut vix thesauros aliquis perpenderit ejus,  
 16 largus militiae, largus et ecclesiae.  
 17 Denique tantus erat ut solus fecerit orbem  
 18 numen ad imperii subtrepidare sui.  
 19 In dubio tamen est quae stirps utriusque parentis,  
 20 cum mage par fuerit, clarior exstiterit.  
 21 A patribus proavis pater editus utpote consul  
 22 extulerat proavos ex probitate sua,  
 23 addideratque suis nunc tantum rebus honoris  
 24 quantum res olim patribus addiderant.  
 25 Sed neque distabat a tanto conjuge conjunx  
 26 quam sublimabat regia nobilitas,  
 27 quae deducta potens a nobilitate potenti  
 28 terrae Flandrensis nobile germen erat.

29 Hosque pares geminos sibimet sic fata dicarant  
30 ut speciale forent conjugii specimen  
31 regem regina, reginam rex decorabat  
32 et decus alter erat et decor alterius  
33 non virtute minor successit filia patri,  
34 excepto quod non militis arma gerit.  
35 Arma tamen gereret nisi mos opus hoc inhiberet  
36 nec fas est ferro membra tenella premi  
37 una tamen res est qua praesit filia patri :  
38 versibus applaudit scitque vacare libris.  
39 Haec etiam novit sua merces esse poetis,  
40 a probitate sua nemo redit vacuus  
41 rursus inest illi dictandi copia torrens  
42 et praeferre sapit carmina carminibus.  
43 Ergo ne timeas, nimis est affabilis ipsa,  
44 ipsa dabit tempus, et dabit ipsa locum.  
45 Utque reor, non te comitissa remittet inanem,  
46 sis licet ipsa rudis, more suo faciet  
47 nec tibi praestabit tantillum quod meruisti,  
48 praestabit quod sit lausque decusque suum.  
49 Paene sua est orbi jam munificentia nota,  
50 extremos homines jam sua dona vocant.  
51 Ipsa mihi nota est, nec ego sum cognitus illi,  
52 occuluit sibi me rustica simplicitas  
53 nec nunc auderem praemittere carmen ad illam,  
54 sed voluit mandans carmen habere meum.  
55 Quidlibet audivit nuper de carmine nostro,  
56 innuit applaudens quatenus adjiciam.  
57 Adjicio non quod par esse suae probitati  
58 possit, sed vigeat ex probitate sua ;  
59 materies grandis mea carmina nobilitavit,  
60 non mea nobilitant carmina materiam".  
61 Hanc morum probitas, hanc castum pectus honestat,  
62 nobilis hanc soboles ornat amorque viri  
63 sunt tamen et multi, quos commendare puellis  
64 et decus et probitas et sua forma queat,  
65 hanc qui temptassent. Sed quid temptasse juvaret ?  
66 Servat pacta sui non violanda tori.  
67 Hanc decor insolitus et inaequiperanda venustas  
68 commendatque simul gratia colloqui.  
69 Sed quis tam duram silicem mollire valeret ?  
70 Inspiciunt sine re, sed juvat inspicere ;  
71 praemia magna putant dum spe pascuntur inani,  
72 irritantque suos hanc inhiando oculos.  
73 Nec mirum, quoniam species sua tanta refulget  
74 debeat ut cunctis praefore virginibus.  
75 Hanc ego vidissem, nisi rusticus erubuissem ;  
76 ipsam quippe loquens, inspicere erubui.  
77 Hinc, nisi palantes obliquarentur ocelli,  
78 mox exhausisset omnia verba mihi.  
79 Gorgone conspecta, quamplures destituuntur  
80 taliter a propriis protinus officiis,  
81 et coram Circe sic multi diriguere :  
82 non etenim poterant lumina ferre deae.  
83 Vix ideo vidi, vidisse tamen reminiscor,  
84 ut reminiscor ego somnia visa mihi.

85 Sic me saepe novam lunam vidisse recordor,  
86 vel cum vix video, meve videre puto.  
87 Vix ipsam vidi, sed sicut et ipse recordor,  
88 Dianae species anteferenda sua est.  
89 Participaturus verbis ipsius, ad ipsam  
90 accedo et thalamos ocius ingredior.  
91 De me quippe suis, veluti praesaga, ministris  
92 dixerat ; hac de re promptius excipior.  
93 Obstupui, fateor, substans in limine primo,  
94 Elysios campos esse ratus thalamos.  
95 Nam thalamos operis aulaea recentis obibant,  
96 quae cum materies tunc pretiaret opus :  
97 serica materies, opus est quod vivere credas,  
98 quod nobis iteret historias veteres.  
99 Hinc videas elementa novo moderamine juncta  
100 et librata suis singula ponderibus :  
101 antiquumque chaos videas in parte sequestra :  
102 aer, terra manent insimul, ignis, aqua.  
103 Astiterat dictans operantibus ipsa puellis  
104 signaratque suo quid facerent radio.  
105 Erumpit caelum, tellus manet, ignis et aer  
106 jam velut evadunt mobilitate sua ;  
107 corpora juncta simul faciunt et corpora vivunt ;  
108 desuper, ut decuit, est Opifex operi.  
109 Pigras dilabens terras interluit amnis,  
110 undae concretae conficiunt maria.  
111 Vivunt impariter jumenta, volatile, repens ;  
112 omnibus his superest, ut dominetur, homo.  
113 Hinc ad diluvium protendit linea patrum :  
114 nomina scripta legas, gesta recensata notes  
115 arbore sub quadam stetit antiquissimus Adam,  
116 fructum carpebat Eva viroque dabat ;  
117 quidam crudelis frater, crudelior hoste  
118 atque homicida, Cain, percutiebat Abel.  
119 Ecce locum videas, quem turba vocat Paradisum :  
120 hic quasi perpetuat inveteratus Enoch.  
121 Diluvium campis superest et montibus altis ;  
122 dumque natare licet, vivida quaeque natant :  
123 et lupus, et cervus, et bos, et tigris, et agnus,  
124 pace nova mites, ecce natant pariter.  
125 Mirantur montes in summo vertice pisces,  
126 aequora mirantur quod leo piscis erat.  
127 Haec quoque deficiunt, vita sibi deficiente ;  
128 quae modo vivebant putida tabe fluunt.  
129 His inhiare fuit horrorque et grata voluptas,  
130 omnia sic videas ut quasi vera putes.  
131 Arca ferebatur quo se tulit impetus undae ;  
132 imbres deficiunt et minuuntur aquae,  
133 apparent montes, occulta renascitur arbor,  
134 hinc procera magis quo tenuatur aqua.  
135 Ecce refert oleam rediens lutulenta columba ;  
136 putribus incumbis, corve, cadaveribus.  
137 Limosi montes limosaque paruit arbor,  
138 lurida visa fuit quaeque superficies.  
139 Hoc opus, hoc velum thalami primordia vestit,  
140 illa parte domus qua domus est brevior.

141 At domus in longum, velis obtenta duobus,  
142 temporis ejusdem dissona signa dabat.  
143 Sensus imaginibus erat alter, et altera gens est :  
144 hac genus Hebraeum, hac fabula Graeca fuit,  
145 tunc videas Noe plenum cratera tenentem  
146 et veteris reliquos historiae titulos.  
147 Pectine sublimi discernit sidera canus  
148 defectusque senex gignere discit Abram.  
149 Excidium Sodomae signatur, sulphura, flammae ;  
150 obnubunt frontem conscia corda manu.  
151 Antiquus Jacob virgas decorticat estque  
152 astans propter oves, pastor et ipse gregis.  
153 Venditus est Joseph, Pharaonis et horrea complet  
154 fratribus indulget redditus ipse patri.  
155 Ecce videbatur famosi gloria Moysi  
156 Israelitam qui doceat populum ;  
157 nec minus et Josue succedit in ordine Moysi  
158 succeduntque duces regnaque iudicibus.  
159 Quae memoranda putes et claro digna relatu  
160 in veli serie singula conspiceres.  
161 Consummatur opus veli sub imagine regum,  
162 in reges tempus ducitur a patribus.  
163 En David magnus fulgebat, gloria regum,  
164 cujus in aeternum fama superstes erit.  
165 Hic puer inter oves caput amputat ipse Goliae,  
166 hic latet, hic tandem regia sceptrum tenet.  
167 Hinc Salomonis opes et cetera facta sequuntur,  
168 et reges alios illud opus memorat.  
169 Alterius veli spatiosa volumina Graecas  
170 ostendunt umbras et sua sacra tenent.  
171 In serie prima Saturnia regna leguntur ;  
172 jam furit in patrem Juppiter ille deus.  
173 Aurea prima micant, argentea saecula secunda.  
174 Aerea tertia sunt, ferrea quarta rigent.  
175 Fictilis extremae fit imago posteritatis ;  
176 singula tempus habent gesta locumque suum.  
177 Interponuntur multarum tempora rerum,  
178 ambages veterum Graecaque ficticia.  
179 Tempora Deucalion humana elapsa reformat  
180 et sua Pyrrha viro suggerit auxilium.  
181 En auriga novus, hujus quoque nescius artis,  
182 terras exurit Phaethon et ipse ruit.  
183 In volucrem versus rapit omnipater Ganymedem,  
184 exemplumque manet criminis ipse deus.  
185 Juppiter in taurum super aequora subvehit Io ;  
186 Cadmus Agenorides vertitur in colubrum ;  
187 Argi vertuntur decepti lumina centum  
188 in volucrem pictam ; nunc quoque vivit avis.  
189 Humidus indicit terris sua festa Lyaeus ;  
190 qui renuunt mutat in varias species.  
191 Pyramus et Thisbe gladio moriuntur eodem ;  
192 ex ipsis autem fabula picta manet.  
193 Conspiciuntur ibi speculantes Hermaphroditum  
194 et querunt talis quid sibi forma velit.  
195 Orpheus Eurydicem Stygiis a sedibus effert ;  
196 lex datur, at legem praeproperus violat.



197 Narcissus, propriae plectus amore figurae,  
198 totus amat semet, semet amando furit.  
199 Tot portenta quidem portenta et mille sequuntur  
200 et totidem rursus quae sequerentur erant.  
201 Nec vacat a Paride sinuosi pagina veli  
202 nec Trojae antiquum defuit excidium.  
203 Conditur Alba vetus, Romani semina regni,  
204 famosae retinet quae monumenta suis.  
205 Et res Romanas, et centum nomina regum  
206 illud habebat opus, jam quoque finis erat.  
207 Ambit enim lectum dominae mirabile velum  
208 quod tria materia jungat et arte nova.  
209 Nam manus artificis sic attenuaverat artem  
210 ut vix esse putes quod tamen esse scias.  
211 Aurea praecedunt, argentea fila sequuntur,  
212 tertia fila quidem serica semper erant.  
213 Sic quoque cura sagax tenuaverat ambo metalla  
214 tenuius ut nil hoc posse fuisse rear.  
215 Tam subtilis erat quam texit aranea tela  
216 et tenuis plus, si tenuior esse potest.  
217 Quid subtile magis non Pallas nere doceret,  
218 si praesens Pallas nentibus ipsa foret.  
219 Non meliore stylo formas perarasset Arachne,  
220 si studio praesens ipsa magistra foret.  
221 Fama vetusta refert, nisi fama vetusta sit anceps,  
222 has geminas artes exseruisse suas,  
223 ut studio celebri sibi vendicet utraque nomen -  
224 aggreuntur opus, historias replicant.  
225 Incumbit Pallas itidemque incumbit Arachne ;  
226 propositae titulus laudis utramque ciet.  
227 Sed neutram sperem praesens opus exsuperasse,  
228 cum superet praesens et pretio et studio.  
229 Interlucebant rutilo discrimine gemmae  
230 et margaritae non modici pretii.  
231 Denique tantus erat velo fulgorque decorque  
232 ut Phoebi dicas exsuperasse jubar.  
233 Porro recenseres titulorum scripta legendo  
234 in velo veras historiasque novas.  
235 Ecce videbatur Normannia feta virorum  
236 nomine Guillelmum progenuisse ducem.  
237 Finibus a patriis in primis hunc abigebant  
238 et profligabant jura paterna sui.  
239 Protinus hos princeps nimia virtute subactos  
240 legibus edomuit supposuitque suis.  
241 Hic successiva serie de consule consul,  
242 mox extra seriem de duce Caesar erit.  
243 Ecce micat caelum, rubeus micat ecce cometes ;  
244 crinibus effusis fulgurat in populos.  
245 At ne de stella nos vana putes cecinisse,  
246 vidimus hanc omnes plus quoque quam decies.  
247 Stella fuit stellis aliis conspectior ipsa  
248 et, nisi longa foret, altera luna fuit.  
249 Quippe videbatur vestigia verrere longa  
250 et longe proprias spargere retro comas.  
251 Antiquata patrum miratur et obstupet aetas  
252 quodque vident dicunt grandia signa fore ;

253 pectoribus matres admoto pignore dolci  
254 pectus et os feriunt et nova signa timent ;  
255 a patribus responsa petit sibi junior aetas  
256 atque rogando senis pendet ab ore puer  
257 quid res portendat (tamen et portendere dicunt)  
258 ignorant ; multis fingere multa licet  
259 ecce palatinos virtus Normanna vocarat ;  
260 concilium faciunt, consilium capiunt.  
261 Ipse loco residens Guillelmus in editiori  
262 quo decuit proceres more sedere jubet ;  
263 postquam turba senum juvenumque tacendo quievit,  
264 quo decuit dominum more locutus, ait :  
265 "Cur, proceres nostri (jamjam cohibete tumultum),  
266 Vos huc excierim, protinus expediam :  
267 legati rediere mei, quos ipse petitem  
268 direxi nuper Anglica regna mihi.  
269 Anglica regna mihi serie consanguinitatis  
270 succedunt, rege dum modo regna carent  
271 insuper, heredem me fecit, dum moreretur,  
272 proximus ille meus, et sua scripta dedit.  
273 Legati veniunt, jurant mihi debita regna ;  
274 pollicitae fidei nos quoque credidimus ;  
275 ipsos et nostros maturius accelerare  
276 jussimus, ut regi foedera nostra ferant.  
277 Inveniunt regem velocius occubuisse.  
278 Credite, quam volui quamque necesse fuit.  
279 Quid non Anglorum praesumat spiritus exlex ?  
280 Praesumpserunt mihi jura negare mea.  
281 Quidam perjurus quod nos diadema deceret  
282 usurpat ; nobis missus et ipse fuit.  
283 Ipse manu propria mihi sacramenta peregit ;  
284 quam modo mentitur, tunc dedit ipse fidem.  
285 Legatos audite meos." Ipsosque profari  
286 mandat ; legati testificantur idem.  
287 Direxere oculos in eos, dum fantur, et aures.  
288 Consulis attente denique verba notant.  
289 Adjecitque heros, quem regni sollicitudo  
290 concutit, et probitas, ut sua jura petat :  
291 "In dubiis rebus, quaeratur quid sit agendum,  
292 egregii proceres ; nam modo non dubito,  
293 non dubito quid agam ; sed quod volo, quaeso, velitis.  
294 Inflectenda quidem jussio nostra manet.  
295 Ipse tamen novi quia vos laudetis idipsum  
296 quod probo, quod laudo, vosque probetis idem.  
297 Non ego sum talis cui debita jura negentur,  
298 nec sum Martis ego classica qui timeam.  
299 Immo sum talis cui mox sua dividat hostis,  
300 divisisse tamen si mihi sufficiat.  
301 Non hucusque fuit vestrae, proceres, probitatis  
302 contemptos rebus vivere vos propriis :  
303 in Cenomannenses audax Normannia vires  
304 extulit atque ipsos funditus edomuit.  
305 Appula jura regit virtus quoque vestra refrenat  
306 et Romae feritas nomina vestra pavet.  
307 Guisardum nostrum sperat fore mille virorum  
308 auditoque ejus nomine febricitat.

309 Quid referam Gallos vos debellasse feroces  
310 et totiens enses vos hebetasse suos ?  
311 An potuit vobis obstare Britannia tota ?  
312 Andus enim vestros ipse timet gladios ;  
313 Burgulio siquidem clementia nostra pepercit ;  
314 Andos ad Ligerim noster abegit equus.  
315 Ergo vim solitam perjurus sentiat Anglus  
316 nec sua degeneres vos habeat rabies.  
317 Hactenus, o proceres, vos nomine consulis usi,  
318 consulis in regem nomen habete meum.  
319 Nomen ego regis, vos divitias habeatis  
320 dumque vacat, vestras amplificare domos.  
321 Omnibus illa bonis, ut nostis, terra repletur ;  
322 Gens, imbelle satis et muliebre genus.  
323 Non desunt nobis nisi si tantummodo naves :  
324 ergo quae desunt quique parate rates.  
325 Sitis vos omnes in quinto mense parati  
326 nec det vestra moram segnitie zephyris.  
327 Sumptus ipse dabo pugnacibus, arma parabo  
328 ipseque, si vultis, pro duce miles ero".  
329 Suscipiunt alacres Normanni verba jubentis  
330 confirmantque suis ultima verba ducis.  
331 Qualiter in silvis saevis aquilonibus arbos  
332 qua vis impegit turbinis acta ruit,  
333 taliter edicto gens haec favet imperiali ;  
334 ad sua quisque redit, jamque vacant operi.  
335 Mox faber ex toto lignarius orbe vocatur ;  
336 vertitur in naves aedificare domos.  
337 Non tot apes pariter carpunt Hyblaea salicta,  
338 nec tot Strymonia fertur habere grues  
339 quot sunt artifices, quot jussis artibus instant :  
340 principis edictum praeproperabat opus.  
341 Sentinas, remos, antemnas, transtra, ceruchos  
342 et reliquos usus omnis adaptat homo.  
343 Ceduntur silvae, cadit ornus, quercus et ilex  
344 deque suo pinus stipite diripitur,  
345 advehiturque senex abies a montibus altis  
346 cunctis arboribus fecit opus pretium.  
347 Mox in litoribus videas consurgere silvam  
348 et loca plana vides quo modo silva fuit.  
349 Ille potens Xerses non tantam jungere classem  
350 nec tantum potuit jungere navigium.  
351 Utque magis stupeas, subito ter mille carinas  
352 jungit et armato milite cuncta replet.  
353 Has praeter, turbae fuerat sua cymba pedestri ;  
354 altera fert dominos, altera navis equos.  
355 Navis et aurato surgebat regia rostro,  
356 quae poterat tumidum non timuisse fretum.  
357 A domina pupi clamatur : "Solvite funes !"  
358 Funes solvuntur ; navita quisque ruit.  
359 Nauticus exoritur clamor mixtusque tumultus :  
360 uxores, matres turbaque plorat iners,  
361 ista virum votis, haec virgo salutatur amicum  
362 insequiturque oculis quaeque puella suum ;  
363 ista serenatos reditus celeresque precatur,  
364 nec vir nec mulier abstinet a lacrimis.

365 Urbs Asiae regnique caput, Priameia Troja,  
366 carmina quam Graecis subjacuisse ferunt,  
367 tunc cum bella Sinon captae misceret et ignes,  
368 reddere tam magnum non potuit strepitum.  
369 Imperii jussu ceduntur milia patrum  
370 Romae, Roma suis ignibus occubuit,  
371 tunc in clamorem damnumque dolorque coegit  
372 innumeros populos praesidiumque fugae ;  
373 tunc, licet immensum, non aequiperasse fragorem  
374 istum crediderim, nunc ubi nemo tacet.  
375 Sidera si caeli ruerent, si machina mundi  
376 si terras omnes aequora praeriperent,  
377 non haec majorem poterant fecisse fragorem  
378 nec fieret clamor amplior in populo.  
379 Ut portum fugere rates altumque per aequor  
380 fit via, clamor abit fitque repente quies.  
381 Jamque gubernator ventos et sidera spectat  
382 incumbuntque suo jugiter officio ;  
383 obliquando sinus in ventos carbasa vertunt ;  
384 tandem, tranquillo remige, litus habent.  
385 Naves et proceres procerumque vocabula velum  
386 illud habet, velum si tamen illud erat.  
387 Ut ferus Anglorum princeps allabatur oris  
388 inquit : "Terra, vale, si mihi, terra, faves.  
389 Te vult perjurus nobis auferre tyrannus  
390 perjuriique reus debita nostra negat.  
391 Detur perjuro nobis te auferre tyranno  
392 perjuriique reo tollere nostra queam.  
393 Nolo tuos agros, regio mea, depopulari ;  
394 hostibus hostis ero ; pax, mea terra, tibi !"  
395 Inde jubet qui signa ferant quique agmina ducant,  
396 collocat extremos, collocat et medios.  
397 Jam resonant litui, jam Martia classica clangunt.  
398 Milite cum multo comminus hostis adest.  
399 Cum necdum pugnam miles Normannus inisset.  
400 Frigida corda gravi diriguere metu.  
401 Nam nec erat numerus nec erat qui dicere posset  
402 adversae gentis copia quanta fuit.  
403 Hastarum multos densissimus ordo fefellit,  
404 nam, nisi luceret lancea, silva fuit.  
405 Hostis, equo abjecto, cuneum densatur in unum  
406 qui, nisi desiperet, intemerandus erat ;  
407 nam neque Normannus consertos audet adire,  
408 nec valet a cuneo quemlibet excipere.  
409 Arcubus utantur dux imperat atque balistis,  
410 nam prius has mortes Anglia tunc didicit :  
411 hinc didicere mori quam non novere sagitta,  
412 creditur a caelo mors superingruere.  
413 Hos velut a longe comitatur militis agmen,  
414 palantes post se miles ut excipiat.  
415 Spicula torquentur, multi stantes moriuntur.  
416 Gentes densatae non poterant cadere.  
417 Tunc prae tristitia gens efferata praeque pudore  
418 egreditur palans insequiturque vagos ;  
419 Normanni simulantque fugam fugiuntque fugantes  
420 intercepti eos undique praepes equus ;

421 Ilico caeduntur, sic paulatim minuuntur  
422 nec minuebatur callidus ordo ducis.  
423 Tandem jactura gens irritata frequenti,  
424 ordinibus spretis, irruit unanims.  
425 Tunc quoque plus solito fugientum terga cecidit  
426 et miles vultum fugit adusque ducis ;  
427 tunc Normannorum prope sunt exterrita corda  
428 et tunc optabant delituisse fuga ;  
429 occisumque duces vulgabat opinio vulgi :  
430 hoc rumore magis marcida turba fugit.  
431 Hinc titubare suos princeps praesentit, et inquit  
432 (et subito galeam submovet a capite) :  
433 "State, precor, nostri memores vestrique meique ;  
434 vivo quidem, vivo, nil timeatis, ego.  
435 Gens mea, quid fugitis ? Praesto est victoria nobis  
436 utendum nobis omnibus est gladio.  
437 En vires vestras viresque probetis avitas :  
438 jam fugient hostes, aggrediamur eos.  
439 Quo fugeritis ?" ait, "Procul est a litore classis,  
440 nos ipsam nobis spem simul abstulimus.  
441 Moenia quae nobis ? Utendum est vindice dextra ;  
442 in manibus vestris vivere sive mori est".  
443 Cornipedem properus calcaribus urget aenis  
444 atque hostes subito fulminat ense fero.  
445 Non Hector tantus Graecos, nec tantus Achilles  
446 stravit Trojanos, fortis uterque tamen.  
447 Cetera turba duces sequitur, furit ira pudorque,  
448 jam cessisse pudet jamque manu geritur.  
449 Hic ferit ense fero, ferit hic horrente machaera.  
450 Fit via spiritibus vulnere multimodo.  
451 Mars utrisque favet partique arridet utrique,  
452 quaelibet in caedem pars animata ruit.  
453 Mors cita subsequitur, isti moriuntur et illi,  
454 mors aderat gladiis praeproperata suis.  
455 Lassari potuit, nisi fallor, turba sororum ;  
456 stamine non rupto, plurimus occubuit.  
457 Multus abit moriens injussus ad infera regna  
458 Fataque mille suis accelerant manibus.  
459 Indemnis neutri cedit victoria parti,  
460 arida caesorum gleba cruore fluit.  
461 Tandem, ne caeli praesagia vana fuissent,  
462 Normannis deitas propitiata favet  
463 perforat Hairaldum casu letalis arundo ;  
464 is belli finis, is quoque causa fui ;  
465 is caput impurum regali cinxerat auro  
466 sceptraque perjura laeserat ipse manu.  
467 Anglica turba pavet, auget Deus ipse pavorem  
468 inque fugam legio tota repente labat  
469 nec posthac potuit populus tantus revocari,  
470 impetuosa fugit praecipitata manus.  
471 Suffocat multos, dum ceditur, impetus ipse ;  
472 multi tunc armis interiire suis.  
473 Omnibus arma nocent ; qui possunt arma reponunt  
474 qui modo pugnabat miles inermis abit.  
475 Mox, laxis frenis, fugientum terga fatigat  
476 Normannus ; multos proterit ales equus.

477 Normannos animat praesentis causa triumphi,  
478       Anglos rex caesus ac timor exanimat ;  
479 Normannos acuit ne bellum cras iteretur,  
480       Anglos sollicitat mors sibi contigua.  
481 Acrior insurgit Normannus tigride feta ;  
482       passim procumbit mitior Anglus ove.  
483 Utque lupus, quem saeva fames ad ovile coegit,  
484       parcere non novit innocuis gregibus,  
485 at non desistit pecus usque peremerit omne,  
486       sic Normannorum non tepet asperitas.  
487 Sed miserante Deo bellum clademque diremit  
488       nox Anglis spatium praesidiumque fugae.  
489 Anglis nulla fuit nox opportunior illa,  
490       qua valuere suis consuluisse malis.  
491 Nocte locum capiunt quemcumque occasio praebet ;  
492       hi spelaea tenent, hi frutices subeunt.  
493 Nobilitas tenuata licet tamen occupat urbes  
494       saepaque munivit moenia rarus homo.  
495 Jamque dies aderat, cum dux victricia signa  
496       afferri mandat alloquiturque viros :  
497 "O genus infractum, gens invictissima semper,  
498       quos ad regna vocant lucida signa poli,  
499 quamvis bellorum vos debilitaverit ingens  
500       impetus atque labor noctis et excubiae,  
501 carorumque licet sua corpora sint inhumata,  
502       quidam letali vulnere deficient,  
503 attamen ista dies hodierna laboribus instat ;  
504       haec nobis pacem sola dies pariet.  
505 Res dilata nocet, nocuit dilatio multis ;  
506       anticipemus eis mutua colloquia.  
507 Dum titubare licet inconsultique vacillant,  
508       sunt inhibenda sibi tempora consilii.  
509 Non grave sit nobis onus hujus ferre diei :  
510       pacem defessis lux hodierna dabit.  
511 Dum titubant victi, dum marcida colla supinant,  
512       dum sine rege vagus est reliquus populus.  
513 Aggrediamur iter, subito veniamus ad urbes ;  
514       defunctorum animas Omnipotens habeat.  
515 A spoliis igitur simul omnes abstineamus,  
516       ne sint exuviae multiplices oneri ;  
517 cras autem spoliis laetari detur opimis ;  
518       augebo spoliis munera magna satis".  
519 Ad ducis admonitus exercitus impetit hostem ;  
520       hos animi probitas, hos ducis urget amor.  
521 Morte quidem plures retinentur, vulnere pauci :  
522       ne desint pugnae vulnera dissimulant.  
523 Alterius partis resonant ululatibus aedes  
524       nec locus a lacrimis est aliquis vacuus.  
525 Non vacat a lacrimis mulier juvenisque senexque  
526       nec tractabatur de patriae auxilio.  
527 Coeptis interea properans dux impiger instat,  
528       efferus hinnit equus, pugna parata micat.  
529 "Hostis adest ! " Aliqui clamant a turribus altis  
530       frigore corda pavent, membra pavore rigent.  
531 Arma viris desunt, vir muris, rector utrisque ;  
532       non est qui jubeat more coire viros.

533 Si tamen arma viris, vir muris, rector utrisque  
534 esset, turbaret haec simul ipse pavor.  
535 Quid facient ? Muros evelli, tecta cremari  
536 seque trucidari pallida gens similat.  
537 Turpe tamen censent si statim deditionem,  
538 non de pace prius praemoniti, faciant.  
539 Moenia cinxerunt quali potuere corona  
540 imbellis legio, virgo, senex, pueri,  
541 ut quasi bellica gens de pace loquantur honeste.  
542 Dux procul a muris alloquitur proceres :  
543 "Omnia temptemus : quid enim temptasse nocebit  
544 urbi mandemus foedus amicitiae ;  
545 si renuant foedus, capiemus justius arma".  
546 Haec ait et pacem mandat eamque rogat.  
547 Cives accipiunt pacem pacemque redonant ;  
548 urbs patet ; excipitur dux alacri facie.  
549 Protinus applaudit provincia civibus illis ;  
550 collaudant factum suscipiuntque ducem.  
551 Nobilitas, populus, urbes simul, oppida, rura,  
552 supra se regem constituere ducem.  
553 Guillelmus consul rex est de consule factus.  
554 Sanguinis effusi nuntia stella fuit.  
555 Obtinuit regnum rex obtinuitque ducatum  
556 dux, et sic nomen Caesaris obtinuit.  
557 Solus et ipse duos, dum vixit, rexit honores,  
558 cunctis Caesaribus altior et ducibus.  
559 Nemo ducum melior, non regum fortior alter,  
560 Rex diadema gerens, dux ducis arma tulit.  
561 Regis divitiae, sua gloria, bella, triumphi  
562 in velo poterant singula visa legi.  
563 Veras crediderim vivasque fuisse figuras,  
564 ni caro, ni sensus deesset imaginibus.  
565 Littera signabat sic res et quasque figuras,  
566 ut quisquis videat, si sapit, ipsa legat.  
567 Haec quoque, si credas haec vere vela fuisse,  
568 in velis vere, cartula nostra, legas.  
569 Sin autem, dicas : "Quod scripsit debuit esse,  
570 hanc divam talis materies decuit.  
571 Ipse coaptando quae convenient speciei  
572 istius dominae scripsit et ista decent".  
573 Denique quis cameram, quis digne tigna domorum  
574 quisve pavementum, quisve tot expediet ?  
575 Singula si refero, tibi taedia progenerabo,  
576 nec tamen ista pigro sunt tenebranda situ. -  
577 Ergo brevi calamo libabo cetera, non quod  
578 materia caream, vel stilus obsit hebes,  
579 excessisse modum sed epistola nostra videtur  
580 nec res tanta magis non brevianda fuit.  
581 Haec cortina deae lectum vicinior ambit  
582 quae ducis et patris fert monumenta sui.  
583 In thalami caelo caeli quoque nosse meatus  
584 ipsius posses assiduamque rotam.  
585 At, quamvis staret, tamquam tamen ipsa rotabat  
586 machina ; sic studium fecerat artificis.  
587 Aptaratque polos, Helicem simul et Cynosuram  
588 quaeque colore suo pinxerat et studio.

589 Lactea zona, suo distincta colore decenter,  
590 et rubicunda simul et glacialis erat.  
591 Zodiacus sua signa gerit, sua lactea zona,  
592 circulus omnis adest et duo solstitia.  
593 Extremus vertex Arcturus et ipse vocatus  
594 visibilis nobis haec sua signa gerit.  
595 Est polus Arcturum qui subvehat inque rotetur  
596 hunc circa caeli machina tota simul.  
597 Est polus, est regio caecis immersa cavernis  
598 quam, quia conticuit pictor, ego taceo.  
599 Circulus ipse duas habet et collimitat Ursas,  
600 nostris visibilis appropiansque oculis.  
601 Inter utramque jacet Serpens circumfluus Ursam,  
602 in cujus flexu sistitur Ursa minor ;  
603 majorem cauda complectitur, osque caputque  
604 erigit inque pedem circinat Herculeum ;  
605 ipsum nempe caput urget pes Herculis alter  
606 alter enim pes est curvus abusque genu ;  
607 Herculis et vultus tamquam conversus ad Austrum  
608 intuitu recto respicit Ophiuchum ;  
609 obsitus a lumbis est idem pelle leonis,  
610 cujus crus dextrum mox Lyra contiguat.  
611 Albidus expansis Cygnus velut evolat alis ;  
612 Cepheus est subtus, Cassiepia secus.  
613 Andromedam videas quae palmas tendit utrasque ;  
614 haec cervice sua femina tangit equum.  
615 Deltoton a dextris est forma triangula juxta  
616 confinesque plagas Arietis obtinuit.  
617 Quodque tenet Perseus caput est de Gorgone truncum ;  
618 hic Agitatoris calce caput reprimit ;  
619 a pede pes procul est, quia Taurum pes premit alter,  
620 dextra caput gestat, laeva manus gladium.  
621 Arcturi custos, piger ille senexque Bootes,  
622 respicit Arcturos Herculeumque pedem.  
623 Herculis a dorso praeclara Corona videtur,  
624 Serpentis medii quae caput appropriat.  
625 Anguifer a dorso, superapparente Sagitta,  
626 vicinat volucris quae Jovis armiger est ;  
627 ipsa caput Cygni semper quasi mandere temptat.  
628 Delphinus semper obvius instat Equo.  
629 Qua quoque Zodiaci magis ardua linea surgit,  
630 Cancris designant sidera solstitium ;  
631 comportatque suos in semet Cancer Asellos  
632 nec praesepe suis bestiolis deerat.  
633 Et qua Zodiacus declinat solque, gradatim  
634 orbe rotante, ferus mox Leo subsequitur.  
635 Proximat hunc Virgo quae librat in ordine pensas  
636 sed Libram Scorpii brachia prognerant.  
637 Scorpio subsequitur, quem Serpentarius angens  
638 et velut infestans calcatur utroque pede.  
639 Imminet Arcitenens, pedibus caudaque ferinus :  
640 penna coaptat avem, sed facies hominem ;  
641 Haec velut extenta minuitur forma sagitta.  
642 Tu, Capricorne, tenes altera solstitia.  
643 Qua committuntur plaga lactea Zodiacusque,  
644 albicolores sunt et nivei Gemini ;



645       separat a Tauro Geminos Agitator et Haedi,  
646           nam Taurum curvo percutit ipse pede ;  
647       at pede producto Taurus petit Oriona,  
648           Orionis pes impetit Eridanum.  
649       Eridanus siquidem, longo sinuante recurso,  
650           approprians Ceto, Tela vocatur ob id.  
651       Inde sequens Aries noctemque diemque coaequat ;  
652           tempus adaequat idem tempore Libra suo.  
653       Succedunt Pisces. Tua stella refulget, Aquari,  
654           tangere quae caudam vult, Capricorne, tuam.  
655       In Piscem magnum diffundit Aquarius urnam,  
656           Bestia cui Pistrix proxima semper erit.  
657       Ensifer Orion spectat confinia Tauri,  
658           sub cujus pedibus est Lepus, inde Canis.  
659       Infima navis erat, Navis quae dicitur Argo ;  
660           a pupi navis ista propinqua Cani,  
661       a prora vero Centaurus et ipsa supinam  
662           in dextra portat bestia bestiolam ;  
663       hanc quoque Centaurus portare putatur ad Aram,  
664           quae quasi sacra micat, igne sacro rutilans.  
665       Centauro Navique simul superastat Ilhydrys,  
666           cui superest Corvus Urceolusque simul.  
667       Proximus Anticanis Geminis est, et praeit Hydram ;  
668           vendicat hunc totum lactea zona sibi.  
669       His inerant signis superedita nomina semper,  
670           stellarum numerus, tempora, circuitus.  
671       Littera signabat superaddita nomina signis,  
672           signabat cursus, tempus et officium.  
673       Horologos etiam possem numerare meatus,  
674           copia sed fecit me cumulata inopem.  
675       Hoc fuerant camerae laquearia picta labore,  
676           singula signabat forma colorque suos.  
677       Praeterea septem, spatio sed non in eodem,  
678           stellas conspiceres inferiore loco.  
679       In curru proprio quasi stabat Solis imago  
680           isque videbatur irradiare domum.  
681       Lucebant radii, lucebat fervidus axis,  
682           efflabant ignem naribus ejus equi.  
683       Luna sibi suberat, speciemque globumque retentans  
684           ipsa ; suum lumen Sol tribuebat ei.  
685       Nam quando obliquis sibi vultibus adversantur,  
686           conspicitur proprio Luna vigere globo ;  
687       mox geminum cornu semesa videtur habere  
688           paulatimque velut deficit in nihilum.  
689       Cum vero fratri succedit tramite recto,  
690           exhilarata, micans pleniter orbe suo,  
691       tunc fit ut eclipsin sol ipse pati videatur,  
692           in rectum cum fit obvia luna sibi.  
693       Algens Saturnus, inopacus decrepitusque,  
694           quem veterana facit frigiditas sterilem,  
695       vix in ter denos cursum piger explicat annos,  
696           tam lento speram circuit ipse pede.  
697       Stella benigna Jovis, et patre citatior ipsa,  
698           in bis sex annis signiferum peragrat.  
699       Horridus et siccus Mars, belliger immoderatus,  
700           sive furit flammis, sive cruore rubet ;

701 ipse repentinos mortalibus edere morbos  
702 dicitur aut populis horrida bella parat  
703 signiferum fertur annis lustrare duobus,  
704 estque diu Martem cernere cum nequeas.  
705 Fulgebat Veneris formosa binomia stella,  
706 roscida, clara, micans et gemina specie.  
707 Hesperus est sero, mane quoque Lucifer ipsa ;  
708 sero Venus fulget, maneque ridet ovans.  
709 Stella salutaris aplaudit amantibus ipsa ;  
710 ocior haec anno signiferum peragrat :  
711 nam quadraginta ter centum octoque diebus  
712 expleto cursu, lucida stella redit.  
713 Mercuri facunde, tibi facundia linguae  
714 creditur, atque simul mercibus ipse faves.  
715 Ut decet, est rutili tibi prospera forma coloris,  
716 tuque novem metis ocior est Venere.  
717 Continguat solis vestigia sidus utrumque,  
718 ambo tenent solis e regione viam.  
719 Ecce pavimenti structura canenda fuisset,  
720 sed refugit sensus mensque veretur hebes.  
721 Quis siquidem mundum comprehendere carmine posset  
722 namque in eo mundi forma recensata fuit.  
723 Quippe pavementum mundi fuit altera mappa,  
724 hic videas terrae monstra marisque simul.  
725 Res designabant superaddita nomina rebus,  
726 sic ea cura sagax pinxerat artificis.  
727 Ne vero pulvis picturam laederet ullus,  
728 tota fuit vitrea tecta superficie :  
729 ipsa superficies vitreum mare nomen habebat,  
730 lucida materies lucidiorque vitro ;  
731 hanc ne protereret pes invidus ingredientum,  
732 sustentabatur marmore supposito.  
733 Cingebatur opus fluido viridique colore,  
734 ut maris esset opus quod fluitare putes.  
735 Hoc opus Oceani nomen formamque gerebat,  
736 quod penitus limbo cinxerat arva suo.  
737 Insula non deerat et saecla marina videres,  
738 balaenas, cete, cetera monstra maris.  
739 Gurgitibus propriis pisces innare putares,  
740 sique forent pisces, prendere posse manu.  
741 Oceano totus terrae sic obsitus orbis  
742 humectabatur fluminibus mediis.  
743 Forma rotunda sibi, speciem quae preferat ovi,  
744 constans mensuris ponderibusque suis.  
745 Porro venustabat operum variatio terras,  
746 humanusque labor auxerat effigiem.  
747 Divinus siquidem quaedam construxerat ordo,  
748 quaedam vero manus fecerat artificum.  
749 Disposuit cursus summus moderator aquarum,  
750 Tigris et Euphratis, Eridani, Ligeris ;  
751 disposuit medias mare quatenus abluat oras  
752 orbis terrarum, quod Mare sit Medium ;  
753 disposuit montes, necnon genus omne ferarum  
754 monstrorumque genus et species hominum ;  
755 disposuit rubras in quadam margine terras,  
756 ut mare quod superest inde rubere queat ;

757 disposuit Syrtes, Scyllaea pericula fecit ;  
758 disposuit flammam ut vomat Aetna suas ;  
759 disposuit calidas sine flamma qualibet undas ;  
760 disposuit dulces et steriles latices ;  
761 disposuit lacuum varias ab origine causas,  
762 Asphaltitis aquas dissimiles aliis.  
763 Asphaltitis aquae numquam patiuntur ut in se  
764 corpora demergas, aut hominum aut pecorum ;  
765 nam super has tauri fluitant, fluitantque cameli,  
766 quos si temptabis mergere non poteris.  
767 Scilicet id temptes, hominis quoque brachia stringas,  
768 attamen et strictum flumina rejiciunt ;  
769 sed neque sustentant nisi tantum pondera viva,  
770 ergo navigiis inuis ille lacus,  
771 nec naves novit, nec pisces educat ullos,  
772 in quo demergi vivida nulla queunt ;  
773 subvehit accensas locus ille lacusve lucernas,  
774 exstinctas vero mittit ad ima sui.  
775 Is locus, iste lacus quondam fuit urbs Sodomorum  
776 en luteus lacus est, non hominum locus est ;  
777 criminis en veteris retinet locus ille figuram,  
778 crimine qui maduit ecce paludemadet.  
779 At labor humanus muratas condidit urbes,  
780 urbibus imposuit nomina quae placuit ;  
781 nominibusque suis quaecumque fluentia vocavit,  
782 tergaque caerulei perculit ipse maris ;  
783 limitibus certis distinxit climata mundi, in  
784 tres partes orbem quadrifidum redigens.  
785 Nec tamen has partes spatium collimitat aequum :  
786 orbem paene Asia dimidium rapuit ;  
787 Europe et Libye pars altera contigit orbis,  
788 quae Libyae sua pars Africa nomen habet.  
789 Porro pars Asiae prius est recitanda situsque,  
790 carpere summatim si recitare voces.  
791 Anteferenda aliis est quam Paradisus honestat,  
792 hanc Paradisus enim nobilitat Domini.  
793 Hanc ab Europa Tanais disternit unda,  
794 ex quo Maeotis dicitur esse palus.  
795 A Tanai Nilus procul est, a flumine flumen ;  
796 Nilus et hanc Asiam separat a Libya ;  
797 attamen Aegyptus Nilum protenditur ultra,  
798 austrum pertingens ultima pars Asiae.  
799 Hanc quasi retrogradum Medium Mare collateravit  
800 hanc circum a tergo circuit Oceanus.  
801 Has intra metas terrae est porrectio multa,  
802 montes Rhipaei, Caucasus et reliqui :  
803 montes Israel, Sina, Carmelus et Ermon,  
804 Taurus, mons Libani, Gelboe, mons Sinai,  
805 multaque planities, Rubrum Mare, flumina multa,  
806 quae potui et poteris dinumerare legens :  
807 Jordanis, Farfar, Euphrates, Tigris et Arbes,  
808 Ganges et Nilus, Indus, Arax, Tanais,  
809 Hermus, Pactolus, Cydnus, Maeander, Orontes,  
810 Eusis et Bactrus, Ocorus et Phasides.  
811 Hos intra montes, intra sinuosa fluentia  
812 sunt variae gentes innumeraeque tribus,

813 diversi mores ut diversae regiones :  
814 pars Asiae pecorum parsque ferax hominum,  
815 pars hirsutarum genitrix altrixque ferarum.  
816 Grypi, pantherae, tigridis atque leae ;  
817 nutrit serpentes, homo quos hucusque veretur  
818 nec valet a propriis sedibus elicere :  
819 sunt etenim montes sua quos vigilantia munit,  
820 tangere ne montes audeat ullus homo ;  
821 quos tamen et montes amor insatiatus habendi,  
822 tangere si posset, diripuisset eos :  
823 nec mirum cum sit mons aureus omnis ab imo  
824 aut totus montis gemma sit ipse lapis.  
825 Est hucusque tamen homini locus invius ille,  
826 quem proprium sibimet squameus anguis habet  
827 balsama dat nobis, opobalsama, tus et aroma,  
828 Rugosum nobis hinc piper advehitur.  
829 Solis et aurorae matutinale volumen  
830 et primos Asia prima videt reditus.  
831 Praeterea sunt multa quidem quae pullulat ipsa  
832 tertia pars orbis, quae properans taceo.  
833 Finibus Europae Tanais conterminus atque  
834 declivis Asiae lambit utramque plagam.  
835 Europam a tergo qui terrae circuit orbem  
836 et decurtat humum circuit Oceanus.  
837 Oceani cumulus terram super inferiorem  
838 exit : quod Pelagus fama vocat Medium.  
839 Hoc pelagus fines Europae claudit et arcet  
840 et simul Europam segregat a Libya.  
841 Quippe maris reflui findunt divortia terram  
842 et procul a semet litora dissociant.  
843 Istis limitibus quasi tertius obsitus orbis,  
844 vel mage tertia pars, sic ibi pictus erat.  
845 Riphaei montes Asiae sua jugera partim,  
846 Europae partim, fasce suo reprimunt.  
847 Sunt etiam plures porrecti in sidera montes  
848 quos Europa sibi vendicat in proprios.  
849 Nam suus est Athos, suus est precelsus Olympus  
850 qui caeli sub se nubila despiciat ;  
851 Parnasus suus est, gemino qui vertice surgens,  
852 vatibus acceptus, Thessala rura videt :  
853 ergo duos montes mons idem ferre videtur,  
854 mons alius Cirrha est, Nysaque mons alius.  
855 Mons Jovis, antiquo Mons Julius nomine dictus,  
856 occupat Europam circuitu nimio ;  
857 hic Appenninum longas quoque provehit Alpes,  
858 mons Jovis, Europae portio non modica.  
859 Mons Pyrenaeus quasi murus claudit Iberos,  
860 munit et ambitam mons spatiosus humum.  
861 Sunt quoque monticuli quasi quaedam tubera terrae,  
862 quos Europa vehit appropriatque polo :  
863 montem Cassinum videas, videasque Vesaevum,  
864 Garganum et montes conspiceres reliquos.  
865 Inde color viridis laticum, quasi concolor undis,  
866 Europae fluvios posse notare dabat.  
867 Danubium magnum major signabat imago ;  
868 Ister et ipse quidem dicitur a populis.

869 Ister et hic, inter Europae maximus amnes,  
870 gurgite septeno defluit in pelagus.  
871 Eridanus vero, quem nominat incola Padum,  
872 par Istro fines abluit Italicos.  
873 Rhenus enim Pado pariter succedit et Istro.  
874 Haec recitare prius flumina condecuit :  
875 tres isti siquidem majoris nominis amnes  
876 Europam cursu nobilitant proprio.  
877 Subsequitur Ligeris quo nullus amoenior amnis,  
878 sed neque cujus plus unda salubris eat ;  
879 quem si scriptores antiqui praeteriere,  
880 invidia tacti, non ego praetereo.  
881 Auctor picturae, fluvii non immemor hujus,  
882 hunc Ligeri titulum desuper apposuit :  
883 "Sicut arena Tagi, Ligeris quoque flavet arena,  
884 cui palus et limus, juncus, arundo deest.  
885 Nullius pisces sunt piscibus aequiperandi  
886 divini Ligeris, quos sapor ipse probat.  
887 Hic quoque Vigennae fluvius dux et Meduanae,  
888 elaverem et Sivolum versat in Oceanum.  
889 Est et adhuc fluvius non parvi nominis, undas  
890 qui sociat Ligeris, Cambio Burgulii.  
891 Unda quidem Ligeris, teneris infusa puellis,  
892 corpora lotarum candidiora facit".  
893 Inachus et Rhodanus, Tiberis, Samoin et Ebrus,  
894 Alud, Srabo, Tagus, Alba, Danab, Hibanes,  
895 Materna et Sequana, Durentia, Margus, Hiberus,  
896 Betis, Arar, Minius, Gallicus atque Isara,  
897 Europae rivi post flumina quattuor illa,  
898 Eridanum, Renum, Danubium, Ligerim.  
899 Haec erat Europae depictae compositura  
900 nec deerat pictis nomen imaginibus.  
901 Parebant urbes, parebat et insula quaeque ;  
902 quaeque notata quidem jure suo fuerant.  
903 En nos ad Libyam cernendi causa vocarat,  
904 transitus et nobis per maris aequor erat.  
905 Mox quasi per pelagus nobis fuit ire necesse :  
906 credideram timidus quod fluitaret opus.  
907 Extimui, sed mox spes ipsa resumpta timorem  
908 leniit, et recolo quod mare rebar humum.  
909 Accessi, vidique situm, vidique locatas  
910 urbes et montes et fluviale decus.  
911 Hesperii montes, Calpes et stelliger Atlas,  
912 Atlas quem caeli grande fatigat onus.  
913 Conspicias alios convexa per Africa montes  
914 et facie Syrtes horribili videas.  
915 Rursus arenae huc sunt, quas omni sedulitate  
916 servant formicae corporis haut modici -  
917 sunt etenim tantae nobiscum musio quantus - ;  
918 ipsas auriferas fama vetusta refert.  
919 Flumina sunt Libyes Amsisia, Dara, Baracda,  
920 (LACUNE)  
921 Alva, Nigri, Triton Mutulque et flumina pauca :  
922 ille quidem tractus sole calet nimio.  
923 Dives opum tamen est et fertilitate redundat  
924 jumentis et pecoris, sed fera corda viris.

925 Gens inculta prius, sed ferreus Hannibal ex quo  
926 praefuit his, culte vivere gens didicit.  
927 In Libyae campis sunt plurima monstra ferarum  
928 quae si conspicias, cartula, mox paveas :  
929 ursus, rhinocerus, onager, panthera, camelus,  
930 inflexusque elephas, pardus, hyaena, leo.  
931 Cerasten, jaculum, dypsam simul amphisibaenam  
932 haec fovet, ac regulos monstraque multa nimis  
933 aspidis est mater, satyri, fauni, basilisci ;  
934 silvestres homines Africa progenerat.  
935 Aethiopes, Libyae gens ultima, solis in aestu  
936 ignibus aeternis squalida rura colunt.  
937 Et licet hi teneant exusta vaporibus arva,  
938 quo minus arboribus est habilis regio,  
939 attamen hos ultra loca sunt, loca pervia nulli  
940 quae loca non foveat temperies aliqua ;  
941 tanto sole calent ut eorum sit calor ardor,  
942 frigidus huc serpens vix habitare potest.  
943 Res est inde magis quam carmina testis et index,  
944 quod potes indiciis ipsa probare suis.  
945 In tractu vero modicum quid ab igne remoto,  
946 cinnamus est arbor, cinnama quae generat.  
947 Ista pavimenti praesens structura dabatur ;  
948 cetera quae nequeo cuncta referre leges.  
949 At dominae lectus pedibus surgebat eburnis ;  
950 ingeniosa manus auxerat his pretium.  
951 Qua regina suum caput inclinando cubabat,  
952 grandis staturae grande nitebat opus ;  
953 nam velut in solio quaedam residebat imago  
954 quae, bene si novi, Philosophia fuit.  
955 Huic sua manabant fluido velut ubera lacte ;  
956 virgo quidem facie, fronte severa tamen ;  
957 stellantes oculos ut lumina vera putares  
958 membraque personae congrua conspiceres.  
959 Aetatis justae, licet esset plena dierum,  
960 Cui neque marcuerat aut vigor aut species.  
961 Sed neque nuda fuit, sed operta sedebat imago,  
962 excepto vultu qui quasi nudus erat.  
963 Haec digitum dextrae tendebat, more magistrae,  
964 effigies ; septem discipulae suberant.  
965 Qua comitissa pedes in lecti parte locabat,  
966 harum tres oculos ante docentis erant.  
967 At gradus inferior poterat tamen esse coaequus  
968 dictantis pedibus, haec et eburna strues.  
969 Quattuor intentae verbis signisve magistrae  
970 gressibus haerebant indiciisque suis.  
971 Quod puer audieram, de quo persaepe putaram,  
972 haurio quadrivium visibus et trivium.  
973 Attamen ipsa duas aliis quasi praeficiebat,  
974 ejus et inspiceres has tenuisse pedes.  
975 Quae sibi dextra sedet quasi cymbala percutiebat,  
976 tangebatur citharas, organa, sinistra, lyras,  
977 concordi calamos spiramine saepe replebat.  
978 Sic ad concinnos invigilans modulus,  
979 haec demulcebat homines dulcedine tanta  
980 ut recreare hominis ipsam animam valeat.

981 Nam status humanae vigor et modulatio vitae  
982 quodam concentu, nescio quo, regitur,  
983 ut de quadrata videatur surgere forma  
984 quae formis reliquis amplius est solida ;  
985 namque aer undis, terrae concordat et igni  
986 et neutrum in quadro dissonat a neutro.  
987 Quattuor his et sic concordat vivificans vis,  
988 mensura ut parili singula vivificet ;  
989 nec veluti quinta vis adjectiva videtur,  
990 sed nexu quodam tetragonum solidat.  
991 Hic harmoniae typicalis compotus atque  
992 caelestis rhythmus corpora nostra regit.  
993 Huic velut applaudit nostrae symphonia vocis ;  
994 ille quidem rhythmus est prior, hic sequitur.  
995 Hoc quoque consistit totius fabrica mundi,  
996 omnia dum condit Conditor, hunc habui.  
997 Hinc est, si nostras concentus percutit aures,  
998 quatenus interior exhilaretur homo.  
999 Discipulae vero fuit hujus Musica nomen,  
1000 officio cujus cuncta magis vigeant.  
1001 Fecerat hanc ideo sibi Philosophia secundam,  
1002 jusserat et pedibus semper adesse suis ;  
1003 quippe per hanc aliae sibi consensere sorores  
1004 atque per hanc ipsas consona mens aluit.  
1005 Hanc secus assistens virgo speciosa sedebat,  
1006 a pedibus dominae contiguata suae.  
1007 Haec etiam digitos manuum sic articulabat  
1008 ut tamquam numeros efficeret digitis.  
1009 Et numeris numeros collatos saepe videres,  
1010 et qui multiplicent vel generent alios.  
1011 Hi decurtantur, si quando multiplicantur,  
1012 hi quasi pinguescunt transiliuntque modum ;  
1013 attamen et modus est quod abundant vel breviantur ;  
1014 sicut abortivus est tamen iste modus :  
1015 centipedes est esse homines modus immoderatus  
1016 necnon unipedem non modus et modus est ;  
1017 alter enim parium nimium crassatur abundans,  
1018 alter inops et egens deficit a quod erat.  
1019 Inter eos autem quidam numerus reperitur  
1020 quem tu perfectum jure vocare queas ;  
1021 nec remanet citra nec summam tenditur ultra ;  
1022 sed magis in semet summaque parsque redit ;  
1023 cujus per partes si fit sua summa, redactae  
1024 partes nil aliud quam quod erat faciunt  
1025 ex hoc exemplum senarius omnibus esto,  
1026 et cujus numeri summa rependet idem :  
1027 per partes etenim si sex diviseris aequas,  
1028 pars tria dimidia est, tertia pars duo sunt,  
1029 unum pars sexta ; quas si deducis in unum,  
1030 reddita pars parti sex simul efficiunt.  
1031 Signabat quasdam tenui discrimine formas,  
1032 dans aliis alios nominibus numeros,  
1033 et monadem formam, diadem triademque docebat :  
1034 digna Deo prima est, altera materiae ;  
1035 pollebat triades, idealibus apta figuris ;  
1036 est igitur taetras quae faciat solidum.

1037 Hae faciunt formae decadem tantum duplicate,  
1038 non repetitorum summula quo residet.  
1039 Haec et plura simul numeratrix virgo canebat  
1040 et propria numeros effigiabat acu.  
1041 A dominae vero residentis parte sinistra  
1042 astabant propter discipulae geminae.  
1043 Prima videbatur calamo contingere caelum  
1044 atque coaptabat nomina sideribus.  
1045 Et calamus cubitalis erat, namque aptior haec est  
1046 ad discernendos summula sola polos.  
1047 Cur sol retrogradus, cur luna citatior iret,  
1048 haec discernebat pectine doctiloquo,  
1049 cur sol tam lentus solarem circuit orbem,  
1050 motio quid lunae menstrua significet.  
1051 Arcturos, Hyadas Pliadasque diserta canebat,  
1052 quot stellas habeant singula signa poli.  
1053 Quantum distaret Septemtrio solis ab ortu  
1054 at centrum caeli qua regione manet,  
1055 quot cubitis Aquilo fuerit semotus ab Austro  
1056 quotque interstitiis sint ea seposita,  
1057 stellarum numeros, cursus et tempora caeli,  
1058 ut multos hominum fecerit astrologos.  
1059 His obliquatos, his rectos esse meatus  
1060 dicebat, certa sic ratione docens.  
1061 Et caelum zonas monstrabat quinque tenere  
1062 brumalesque situs et duo solstitia  
1063 zonarumque duas habiles mortalibus aegris -  
1064 at geminae frigent, quinta calore rubet.  
1065 Inque manu laeva sphaeram gestamen habebat,  
1066 quae depicta modo multicolore fuit.  
1067 Serpentes, Ursas illic pigrumque Bootem  
1068 conspiceres, et adhuc nescio quas species.  
1069 Res ea non fuerant, magis exemplaria rerum,  
1070 instar stellati sphaera poli fuerat.  
1071 Qua plerumque cavum lustrabat arundine caelum,  
1072 lustrabat sphaeram singula discutiens.  
1073 In caelo tales fuerintne aliquando figurae  
1074 mecum pensabam pensaue grandis erat.  
1075 Pensanti ipsa refert : "Ne penses falsave speres,  
1076 in caelo talis nulla figura fuit ;  
1077 sed finxi formas et formis nomina finxi  
1078 ne cito labantur cognita signa meis.  
1079 Est tamen in stellis dimensio certa quibusdam,  
1080 ad liquidum quam rem lectio nostra docet.  
1081 Insuper horologos possem numerare meatus  
1082 astrorumque gradus edocet ista manus.  
1083 Ne mea scilicet ars videatur inutilis ulli,  
1084 scrutari superos proficit atque decet ;  
1085 condecet ad superos homines olim redituros  
1086 interea exterius circumeant speculum".  
1087 Hanc secus assistens Geometrica virgo vocatur,  
1088 orbis terrarum quae peragrat spatium.  
1089 Haec terrenorum summas norat stadiorum  
1090 gestabatque abacum pulverulenta suum.  
1091 Signabatque situm terrae velut esse rotundum,  
1092 illud confirmans pluribus indiciis,



1093 necnon quot stadiis in longum porrigeretur  
1094 tota superficies circuitusve soli.  
1095 India postrema terrae collimitat ortum,  
1096 occasum Gades limitis Herculei.  
1097 Ipsa maris vitreos peragrabat arundine campos  
1098 et quotcumque capax versat aquas pelagus.  
1099 Syrtes et steriles haec mensurabat arenas.  
1100 Quodque superficies esse soli poterat,  
1101 quot passus regio discreta sit a regione,  
1102 quot passus regio singula possideat,  
1103 denique sub caelo mensura quicquid egebat  
1104 expediebat et hoc mensula mox abaci.  
1105 Nam gestabat ad hoc numeros abacique figuras,  
1106 ut si quid dubites protinus expediat ;  
1107 namque tabellam abaci quasi glauco pulvere plenam  
1108 ingenium sollers fecit ad hoc habilem,  
1109 ut cito sulcari subtili vomere possit  
1110 aut cito deleri sulcus item valeat.  
1111 Plura quidem fuerant quae squalida virgo docebat  
1112 quae sunt ipsius juris et officii.  
1113 Quattuor hae dominam residentem collaterabant  
1114 et series harum quadrivialis erat ;  
1115 hae tam distincte sua singula significabant  
1116 ut facile posses omnia percipere ;  
1117 sic et alebantur fomentis Philosophiae  
1118 ut nusquam possent ulla deesse sibi.  
1119 Hac in parte caput comitissa accline locabat  
1120 et capitale sibi fabula talis erat.  
1121 A pedibus vero sculptura fuit trivialis,  
1122 hoc est tres formas illud habebat opus.  
1123 Rhetoricae mediata sedet sublimis imago  
1124 cujus flammigeros esse putes oculos.  
1125 Etsi forma recens, tamen huic maturior aetas  
1126 et maturius os plusque sagax fuerat.  
1127 Isti praecipue linguae facundia Graiae  
1128 subiciebatur et latiaris apex.  
1129 Commotis pacem, pacatis seditionem  
1130 ad motum linguae noverat efficere ;  
1131 laetos in lacrimas, tristes in laeta ciebat,  
1132 omnia nam voto compote sic poterat ;  
1133 denique mox poterat quicquid suadere volebat,  
1134 dissuadere cito suasa prius poterat.  
1135 Ingeniique sui fluvios glomerarat in unum  
1136 et cuidam potum Romuleo dederat ;  
1137 ubera prae cunctis siquidem sua suxerat unus  
1138 stercore natus homo, caelicus ingenio :  
1139 quippe Quirinali Cicero vix gente profectus  
1140 ordinis ejusdem vix eques est habitus ;  
1141 hic ex rhetorica volitantia verba coartans  
1142 omnes Romuleos extulit eloquio.  
1143 Tullius iste locos docuit docuitque colores,  
1144 unde vel ad rem quid, quid status et modus est  
1145 dissona tollebat, loca complanabat hiulca  
1146 ipsa magistra, fugans omne supervacuum.  
1147 Nec minus et Grai Demosthenis ora replebat  
1148 et geminos geminis gentibus extulerat.

1149 Hi praecepta suae sic exposuere magistrae  
1150 ut nihil amborum defuerit calamo ;  
1151 ambobus par sensus erat, sed dissona lingua,  
1152 ambobus locuples ingeniumque sagax.  
1153 Quicquid mortales facundos edere debet,  
1154 ambo voluminibus inseruere suis ;  
1155 si legis, officium partes in quinque redactum  
1156 rhetoricae videas taliter expositas :  
1157 artis praedictae pars est inventio prima,  
1158 altera disponit, tertia proloquitur,  
1159 quarta quidem memorat, enuntiat ultima ; totum  
1160 sic quoque dividitur rhetoris officium.  
1161 Pars etenim non est, sed partes arguit omnes,  
1162 quod sumus assueti dicere "judicium".  
1163 Dicere quae longum est his plurima subjiciuntur :  
1164 quaestio, causa, status, multaque praetereo.  
1165 Quae secus hanc aderat pallenti femina vultu,  
1166 sed visus acris mobilitate micans ;  
1167 crines intortos simul et gestamen habebat  
1168 serpentem in leva crebrius implicitum ;  
1169 alludens dextram spectanti monstrat apertam,  
1170 prudens vipereos laeva jacet laqueos.  
1171 Huic quoque nomen erat Dialectica, more Pelasgo,  
1172 dicit et hanc Latium nomine non alio.  
1173 Definitivas voces haec gesticulabat,  
1174 a vero falsum vocibus his dirimens.  
1175 Haec auditores nunc sollers aequivocabat,  
1176 voces univocas plurivocasque vocans,  
1177 nunc voci vocem per significata subesse  
1178 sive praeesse probat, ut genus et speciem.  
1179 Esse subalternas individuasque figuras  
1180 firmabat certis rebus et indiciis.  
1181 Frontibus aut mediis aliquando figura figurae  
1182 obviat, aut rectis, aut pariter coeunt.  
1183 Huic Socrates et Aristoteles conjunctius ibat,  
1184 depingens Graio pectine verba decem,  
1185 haec exponendo sensatim magnificabat,  
1186 faucis e granis semina multa legens.  
1187 Multos anfractus Dialectica subjiciebat,  
1188 conditionales implicitosque modos.  
1189 Voce relativa sibi filius et pater instant,  
1190 ambo simul vivunt, ambo simul pereunt.  
1191 Incautis multas laqueorum cauta figuras  
1192 tendebat, variis cincta sophismatibus.  
1193 Argumentorum sic decipulis inhiabat,  
1194 quoslibet ut caperet decipiendo loquens.  
1195 Si vellet, verum vera ratione probabat,  
1196 falsa quidem veris assimilare valens.  
1197 Hanc ex gymnasiis eductam Varro Pelasgis  
1198 olim Romuleis addiderat studiis.  
1199 Nunc quoque linguarum jam non quarumlibet expers  
1200 assimilis vivae condecorabat opus.  
1201 Grammaticae vero juxta renitebat imago  
1202 et lateralis erat Rhetoricae in trivio.  
1203 Limam dentatam gerit haec in partibus octo,  
1204 qua dentes scabros ipsa medens poliat,

1205 forpicibus medicis vitiosa putando labella,  
1206 complet hiulca, cito quod superest resecans ;  
1207 et refovens vulnus linit ilico pulvere quodam  
1208 sepia quem vel quem taetra favilla facit.  
1209 Namque sui juris infantum est ora docere  
1210 et male stridentes aequiperare sonos.  
1211 Praeterea ferulae subdebat discipulorum  
1212 dextras et flagro dorsa ferit rubeo.  
1213 Quondam litterulis aptaverat ipsa figuras  
1214 atque characteribus nomina condiderat.  
1215 Ejus tutelae mandatur syllaba quaeque,  
1216 dictio quaeque sui juris et officii est.  
1217 Addiderat leges ut major sex elementis,  
1218 una vocali syllaba sit minima,  
1219 atque potestates vocalis - scilicet unum- ;  
1220 muta potest aliud atque aliud liquida.  
1221 Longo sive brevi profertur syllaba cantu,  
1222 huic unum superest, huic duo tempora sunt.  
1223 Addidit ipsa pedes qui vatum carmina gestent,  
1224 quot pedibus vadant instituit numerum.  
1225 Quicquid nostra sonat vox partes misit in octo,  
1226 his casus tribuens partibus, his adimens.  
1227 Inflectit potius partes a posteriori ;  
1228 alterius legis est prius et medium.  
1229 In primis statuit conjungi nomina verbis  
1230 et partes alias ulteriore modo ;  
1231 tali junctura constat sententia plena,  
1232 pars a parte sibi contigua regitur.  
1233 Pars a parte venit, verbalia nomina fiunt  
1234 atque a nominibus verba solent fieri.  
1235 Nam quaedam species derivativa vocatur,  
1236 quam sibi multimoda dictio conciliat ;  
1237 sunt etiam partes sic a se primitus ortae :  
1238 hanc quoque primatem jure voces speciem.  
1239 Constat compositae vel simplicis esse figurae  
1240 partes ; id quoque, res usus et ipse probat.  
1241 Insuper et vitiis quibus haeret lingua latina  
1242 signa coaptavit, nomina nec sine re :  
1243 barbariem siquidem linguam dicit vitiatam ;  
1244 oris enim vitium quid, nisi barbaries ?  
1245 Tempora, personas, numeros, adverbium mille,  
1246 casibus obliquis nomina quae careant  
1247 regula sive quibus communis non dominetur :  
1248 libros ediderim, singula si recitem.  
1249 Me linguas centum vel plus decuisset habere,  
1250 si latebras omnes grammaticae repetam.  
1251 Vix de grammaticae perstricta cardine summa,  
1252 illud omittamus quod generaret onus.  
1253 Scire modo liceat, sic sculpta manebat imago,  
1254 ipsius ut breviter officium legeres,  
1255 quaque suos humeros plerumque supina locabat,  
1256 qua lecti ulterior surgere sponda solet,  
1257 gypsea forma fuit grandaevae virginis instar,  
1258 a reliquis cujus differat officium.  
1259 Nam reliquae cantant, numerant aut sidera spectant,  
1260 totum metitur altera sola solum.

1261 Disputat, exorat, declinat jus triviale ;  
1262 haec horum nullum magnificabat opus.  
1263 Magnificabat opus quod per se repperit ipsa,  
1264 divinum quiddam cujus opus fuerat.  
1265 Nam de corporibus fuerat sibi cura medendis  
1266 atque repellendis invaliditudinibus.  
1267 Idcirco lutulenta fuit residentis imago,  
1268 nam de corporibus sermo sibi luteis.  
1269 Haec visu solo poterat praediscere morbos,  
1270 cujuscumque foret quisque coloris homo ;  
1271 haec explorabat admoto pollice pulsum  
1272 sive per urinam nosse malum poterat.  
1273 Haec genus humanum si vellet vivere sanum,  
1274 haec genus humanum posse diu faceret :  
1275 morbo vel senio vix quisquam conficeretur,  
1276 sique mihi credas, vix moreretur homo.  
1277 Ex elementorum numero dicebat inesse,  
1278 nigras et rubeas significans coleras  
1279 et geminas alias, humanae condicioni  
1280 quatuor humores, id ratione probans  
1281 moribus humores superesse simulque colori :  
1282 hinc iracundos, hinc homines placidos,  
1283 hinc acres, hebetes, animosos, ingeniosos,  
1284 hinc flavos, rufos, inde nigros, rubeos.  
1285 Pulmonem atque poros, fibras, praecordia, nervos,  
1286 cor, jecur atque pilos noverat et cerebrum.  
1287 Cur homo sit calvus, cur non sit femina calva,  
1288 cur quoque gignat homo, femina concipiat,  
1289 cur homo barbatus, imberbis femina cur sit,  
1290 cur non gignat homo, femina sit sterilis,  
1291 quid potius placet matricem quidve molestat,  
1292 cur mulier, neque vir, voce sonet gracili,  
1293 quam reliquum corpus cur cor prius effigiatur,  
1294 cur homo fervidior, femina frigidior,  
1295 haec et quae nequeat calamus meus omnia norat,  
1296 nil intemptatum quandoque transierat.  
1297 Omnibus e terris omnes collegerat herbas  
1298 quarum virtutes pleniter attigerat.  
1299 Notitiae dederat cum sollicitudine summa  
1300 quid succus, semen, flos, folium valeat.  
1301 Radices siquidem cribrandas usque terebat  
1302 cribratisque suum conficiebat opus.  
1303 Summa cautela mensuram conficiendis  
1304 mel quoque sive dabat balsama pulveribus.  
1305 Quis numerare queat quot ad hoc collegerit herbas ?  
1306 Quas si temptarem dicere, deficerem.  
1307 Non confectarum novi numeros specierum ;  
1308 has non officii sit recitare mei.  
1309 Reptilium, volucrium, pecudum pinguisque ferinae  
1310 excoctum abdomen ignibus unierat.  
1311 Laesis corporibus varium conflaverat unguen,  
1312 proficeret multis ut sua cura modis.  
1313 Antidotis plenas ampullas mille videres  
1314 atque quibus morbis officerent legeres ;  
1315 atque observandas legeres ubicumque diaetas,  
1316 quis locus infirmus quisve saluber erat,

1317 et quae debilibus membris unguenta valerent,  
1318 et quae prodesset potio visceribus.  
1319 Sic et aromatibus condensis aula fragrabat,  
1320 ut solo posses vivere odore diu.  
1321 Miratus thalamum, pariter miratus odorem,  
1322 miratus dominam quae thalamo praeerat  
1323 effigiemque videns opobalsama multa parantem,  
1324 mente retractabam quod puer audieram.  
1325 Audieram siquidem Medeam Jasonis herbas  
1326 nosse quibus senium subtraheret senibus,  
1327 aegros curaret, morientes vivificaret  
1328 et trivisse simul hisque dedisse dies.  
1329 Hanc igitur cernens ipsam prius esse putavi,  
1330 donec ab hoc titulus me vocat appositus ;  
1331 cura sagax etenim comitissae praecipientis  
1332 hunc super effigiem composuit titulum :  
1333 "Haec est de physica quae disputat ars medicina,  
1334 qua praeunte magis corpora nostra valent".  
1335 Tales praeterea comites adjunxerat illi  
1336 e quibus ediscas cujus erat statua :  
1337 alter erat comitum Galienus et alter Hipocras ;  
1338 ambos visceribus foverat ipsa suis ;  
1339 abdita naturae gemini sic exposuere  
1340 quatenus unierint paene deis homines ;  
1341 paene suis scriptis humanam perpetuantes  
1342 naturam, aeternum vivere nos faciunt.  
1343 Dum tibi desudo, dum sudans, Adela, nugor,  
1344 depinxi pulchrum carminibus thalamum.  
1345 Tu vero, nostrae fabellae digna repende  
1346 et pensa quanti fabula constiterit.  
1347 Nam dum crescit opus, dum carmine charta repletur,  
1348 urbana tumuit garrulitate liber.  
1349 Nunc cave ne studii pereat vigilantia nostri ;  
1350 cuique laboravi non mihi sis sterilis.  
1351 Ecce coaptavit thalamum tibi pagina nostra  
1352 inque tui laudem sollicitata fuit.  
1353 Nempe decet talem talis thalamus comitissam.  
1354 At plus quod decuit quam quod erat cecini.  
1355 Ecce venit charta fastos visura superbos  
1356 et dictura tibi : "Flos specialis, ave".  
1357 Cartula nuda venit, quia nudi cartula vatis ;  
1358 da nuda e cappam, sique placet, tunicam.  
1359 En, felix comitissa, tui memor esto poetae,  
1360 ut mihi plus valeas quam meruit studium.  
1361 Adela, me videas aliquando fronte serena ;  
1362 si me respicies, id mihi sufficiet.  
1363 Si quoque livor edax aliquid praesumpserit in me,  
1364 tu mihi munimen, tu mihi testis eris,  
1365 nec dissuasa meo fies ingrata labori,  
1366 sed facies quod erit lausque decusque tuum.  
1367 Misi qui nostrum reddat recitetque libellum  
1368 ipseque, si tandem jusseris, adveniam.

v.1 Quam peto, quam petii, si reddas, Adela, cappam  
 2 quae deceat dantem, deceat simul accipientem,  
 3 nulla mihi major, melior mihi femina nulla ;  
 4 nam regina mihi tu fies ex comitissa.  
 5 Te quoque majorem formabunt carmina nostra,  
 6 carmine tu nostro latum spargeris in orbem  
 7 ut te nosse queat et Cyprus et ultima Thule,  
 8 Aethiopes, Indi, Getulus et insula quaeque.  
 9 Grandia dico quidem, sed grandia dicere novi  
 10 ex quo materiam mihi sumpsi de comitissa.  
 11 Ipsa mihi carmen, calamum mihi suggeris ipsa,  
 12 ipsa dabis flatus, os ipsa replebis hiulcum ;  
 13 emeritas solvis mercedes ipsa poetis,  
 14 tu cogis vates taciturnos esse loquaces.  
 15 Ergo tuum vatem, comitissa, revise loquentem  
 16 et refer, o domina, scribenti praemia cappam,  
 17 cappam quae Phrygium rutilans circumferat aurum,  
 18 cappam quae gemmis ambitum pectus honestet,  
 19 ut te habeat pectus, haec dum superinduet artus,  
 20 cappam quae pretium comitissae praeferat instar,  
 21 quam merito valeam comitissae dicere cappam.  
 22 Sicut et excellis reginas et comitissas,  
 23 sic reginarum comitissarumque lacernas  
 24 hoc excellat opus, quod te super astra perennet.  
 25 Magna peto, si non majora rependere nesses ;  
 26 ipsa pusillanimes fastidis parva petentes.  
 27 Non nimis alta peto non ad nimis ima relabor.  
 28 Quolibet ornatu debes ornare ministros  
 29 et ditare simul thesauros ecclesiarum.  
 30 Id petiisse meum est, id te praestare tuum sit.  
 31 Sic mihi responde juri ut faveas utriusque,  
 32 et cave ne desit etiam sua fimbria cappae.

v.1 Regia virgo, vale, vale, inquam, regia virgo,  
 2 virgo Romuleis tunc anteferenda puellis,  
 3 virgo virginibus nunc anteferenda coaevis,  
 4 quam pater augustus aequavit regibus anglis,  
 5 quam species formae cum virginitatis amore  
 6 et morum probitas ingenti laude venustat,  
 7 quam satis exornat sua sollicitudo legendi,  
 8 quam patre nobilior sponsus sibi gratificavit.  
 9 Ergo placere tuo, virgo, contende marito ;  
 10 nam neque nupsisti quasi cuilibet e grege sponso,  
 11 sed magis egregio, cujus te forma perennet.  
 12 Quod tibi quae multa est librorum lingua loquetur.  
 13 Ecce tibi, virgo, si quid tamen ipse valebo,  
 14 offero me pro posse meo vel, si placet, ultra.  
 15 Audivi quamdam te detinuisse sororem,  
 16 cujus fama meas aliquando perculit aures ;  
 17 nomen it elapsum, vidisse tamen reminiscor ;

18 Bajocensis erat, sed tunc erat Andegavensis.  
19 Quam, tibi si placeat, nostra de parte saluta  
20 atque mihi nomen rescribe tuumque suumque.

137

MURIELI

v.1 Olim fama satis te magnificarat apud nos,  
2 quam modo magnificat gratia colloquii ;  
3 fama quidem de te velut invida multa tegebat,  
4 quae recitanda forent in triviis etiam.  
5 Ipse meis oculis necnon simul auribus hausi  
6 de te tricando fama quod abstulerat.  
7 O quam mellito tua sunt lita verba lepore !  
8 O quam dulce sonat vox tua dum recitas !  
9 Carmina dum recitas, duro placitura parenti,  
10 dicta sonant hominem, vox muliebris erat.  
11 Verborum positura decens seriesque modesta  
12 te jam praeclaris vatibus inseruit.  
13 Ad meriti cumulum, cum sit tibi junior aetas,  
14 cum placitura viris sit tibi forma decens  
15 nec tibi nobilitas genialis opesve deessent,  
16 singula quae thalamos accelerare solent,  
17 carnis spurcitia robusto pectore spreta,  
18 propositum sanctae virginitatis amas.  
19 Littera multa solet duras mollire puellas,  
20 praedurat pectus littera multa tuum.  
21 O utinam veniat ! Veniat, rogo, terminus ille,  
22 lucrer ut alterius commoda colloquii !  
23 Ipsa dares animum respondens plura roganti  
24 et responderem plura rogatus ego.  
25 Interea nobis nos mutua carmina mandent,  
26 duxque comesque suus sit taciturna fides.  
27 Te secretorum sis conscia prima meorum,  
28 sim quoque secreti conscius ipse tui.  
29 Jam valeas, virgo, fac quod facis, auspice Christo,  
30 moxque valeto meo redde valeto tuum.  
31 Durus ego durum dictandi servo tenorem,  
32 hoc quoque durities ingenii peperit.  
33 Attamen oblectat mentem sententia plena,  
34 lectio quam ditant ditia dicta placet.  
35 Porro mei calami res una retundit acumen,  
36 quippe puellarum nescit adire domos.  
37 Nulla recepit adhuc nisi tu mea carmina virgo,  
38 nulli dixit adhuc cartula nostra "vale".  
39 Scripsimus ad socios, sat lusimus inter amicos,  
40 expers ludendi quaeque puella mihi.  
41 Sed tu me coges ignotum pergere callem  
42 nec dedignor ego tendere qua moneas.  
43 Divitis ingenii tibi copia dives abundat,  
44 quo potes erratus attenuare meos.  
45 Attenues igitur, necnon mihi compatiaris,  
46 attenuabo tuos compatiendo tibi.

v.1 Agnes agnina quia miti mitior agna,  
 2 fac tibi praecipuum quod tibi mando vale,  
 3 quod tibi mando vale communis epistola non est,  
 4 non est communis quae speciale sapit.  
 5 Haec speciale sapit, quia carmen cantat amoris,  
 6 qui tamen in Christo conficiatur amor.  
 7 In Domino confectus amor sublimat amantes,  
 8 absque Deo siquidem lubricat omnis amor.  
 9 Nobis, virgineam qui vovimus integritatem,  
 10 virgineae maneat integritatis amor.  
 11 Sit tibi, quae Christo nupsisti parvula virgo,  
 12 corporis integritas, integritas animi.  
 13 Gaude spurcitiam quia carnis non didicisti ;  
 14 discere ne cupias quae nocitura sapis.  
 15 Unum momentum turpabit tempora centum,  
 16 illud nec totidem tempora restituent.  
 17 Omnia, Christe, potes, sed qui potes omnia, Christe  
 18 - ut loquar audenter, audeo mira loqui - ,  
 19 restaurare nequis violatam virginitatem ;  
 20 ignoscis culpae, virginitas periit.  
 21 Virginitas violata semel nequit inviolari,  
 22 aequa tamen merces restitui poterit.  
 23 Ergo qua polles conserva virginitatem,  
 24 quam si perdideris, desinis esse quod es.  
 25 Desinis esse quod es, amissa virginitate ;  
 26 heu, fractura gravis quam solidare nequis !  
 27 Perdere si quid habes gravis haec jactura videtur ;  
 28 amisisse quod es, nil tibi sit gravius.  
 29 Ipsa meis monitis, mea si cupis esse, favebis,  
 30 quae mando faciens, si potes, et melius.  
 31 Leniat interdum curas tibi lectio sancta,  
 32 ora, scribe, lege carminibusque stude.  
 33 Sit tibi materies divini pagina verbi,  
 34 ut fugias nugas, de Domino loquere.  
 35 Quas tibi promisi tabulas, quas ipsa requiris,  
 36 reddam cum potero, nam modo non habeo.  
 37 Interea mitto nostra de parte valeto  
 38 tuque mihi mittas versibus ut valeam.

v.1 Coenobitarum decus et decor, Emma, sororum,  
 2 suscipe quod mandat Burgulianus ave.  
 3 Burgulianus ave tibi mandat et immolat illud  
 4 quod te contiguet perpetuetque mihi.  
 5 Te mihi contiguet semper specialis honestas,  
 6 lex bene vivendi te mihi perpetuet.  
 7 Aut olim fama mihi tantum cognita sola,  
 8 aut vix communi cognita colloquio,  
 9 nunc mecum vivis non tamquam virgo gregalis,  
 10 sed tamquam virgo nominis egregii,



11 utpote quam proprio sic fovit melle sophia  
12 ut nunc emanent ubera lacte tua.  
13 Quod nuper patuit mihi carmina vestra legenti,  
14 quae tu gratuito nectare condieras.  
15 Ad te concurrunt examina discipularum,  
16 ut recreentur apes melle parentis apis.  
17 Quod si discipulos vester concederet ordo,  
18 vellem discipulus ipsemet esse tuus.  
19 Nunc sub amore tuo saltim me collige, virgo ;  
20 collegi siquidem te sub amore meo.  
21 Ex me, quaeso, meam Godehildim saepe saluta ;  
22 quicquid amo valeat quodque valere volo.  
23 Ergo, semota mihi quae propria est Orieldi,  
24 gratifices nostris alloquiis alias.  
25 Ipse quidem veniam pro me legatus ad ipsam,  
26 non mediatricem quamlibet esse volo.

140

BEATRICEM REPREHENDIT

v.1 Ecce Beatricem noster stilus aggrediatur ;  
2 me vidisse tamen vix reminiscor eam.  
3 Vix reminiscor ego me conspexisse puellam,  
4 quae nil respondit saepe rogata mihi.  
5 Carmina proferret sua vel mea svepe rogavi  
6 - carmina nec deerant ista vel illa sibi - ,  
7 sed taciturna nimis digitum superaddidit ori  
8 et velo oppanso se velut occuluit ;  
9 tamquam per cribrum poterat tamen ipsa videri,  
10 in velo siquidem multa fenestra fuit.  
11 Displicuit quia nil retulit mihi inulta roganti  
12 et me cum video nunc asinum ante lyram.  
13 Aut nimis effertur, aut callet rustica virgo,  
14 forsitan aut sibi sunt haec duo juncta simul,  
15 aut magis officio linguae privata manebat,  
16 quam praesens illi forsitan abstuleram.  
17 Sed neque Medaeae neque Circes carmina novi ;  
18 immo puellaris repperit haec novitas.  
19 Coram virginibus homines satis obstupuerunt,  
20 obstupuit nulla femina coram homine.  
21 Nunc igitur tempto si linguam forte recepit,  
22 si somnus valuit vel medicina sibi.  
23 Versibus irritum mutam si forte loquatur,  
24 invito precibus, excito carminibus.  
25 Carminibus laudet vel damnet carmina nostra,  
26 sin autem mutum sit pecus et mutilum.

141

DE EADEM

v.1 Murem mons peperit, quia fatur muta Beatrix ;  
2 scripsit, dictavit, paene locuta nihil.  
3 Vel nihil est quod ait, vel quod scripsit tueatur  
4 et sua defendat carmina carminibus.

v.1        Suscipe, virgo decens, nostrum, Constantia, carmen ;  
2            fac speciale tibi Burguliensis ave.  
3        Carmine mos meus est nostros nostrasque salutem ;  
4            non aliter possum, non aliter sapio.  
5        Rusticus in factis ad carmina saepe relabor,  
6            ut saltem lateat sic mea rusticitas.  
7        Nunc igitur nostrae scribens alludo puellae,  
8            quam nostram noster allicit esse pater.  
9        Quod pater est noster, noster labor esse coegit ;  
10            filia quod nostra est, hinc labor, inde pater.  
11        Ad te nunc ergo scribens, Constantia virgo,  
12            mando quod teneris competat auspiciis  
13        pactum firmastis, Deus et tu, arrasque dedisti,  
14            ut sis sponsa sibi, sponsus et ipse tibi.  
15        Fac igitur sponso placeas conamine toto,  
16            sponsus promeruit quod tibi complacuit.  
17        Quam sibi vovisti sibi solvas virginitatem ;  
18            solvet enim dotem solvere qui pepigit.  
19        Illibata caro cara est et proxima Christo,  
20            pectoris integritas si comitetur eam.  
21        Integritas carnis sine pectoris integritate  
22            non est omnino victima grata Deo.  
23        Ergo quod potius placet inter cetera Christo  
24            offer, casta Deo pectore carne simul.  
25        Carnis adulantis non te petulantia vincat  
26            nec lascivorum cura sagax juvenum.  
27        Cor pectusque tuum, meditatio spesque fidesque  
28            complectatur eum quem geris exterius,  
29        propter quem fuscus et viles tollis amictus,  
30            ut valeas sociis dicere virginibus :  
31        "Ecclesiae flores vos, Jerusalem sua proles,  
32            proles diffusa fertilitate vicens,  
33        fusca quod exsisto mirari desinitote :  
34            ardor enim solis me facit esse nigram.  
35        Me facit esse nigram cor contritum caro trita,  
36            veri solis amor me facit esse nigram.  
37        Fusca quidem mundo, caelestibus albico rebus,  
38            turpis et atra solo, pulchra nitensque polo."  
39        Haec quoque sive quod his sit par ut dicere possis,  
40            si bene te moneo, quae moneo facito.  
41        En praeceptorum, virgo, memor esto meorum,  
42            ut geminae votum virginitatis ames,  
43        atque salutata nostra de parte sorore.  
44            Inter nos refice foedus amicitiae.  
45        Praeterea, quaeso, non obliviscere nostri,  
46            fac speciale mihi corque jecurque tuum.  
47        Si mandare velis aliquid, committe tabellis :  
48            mandandi genus hoc nos decet, ergo placet.  
49        Dulcibus alloquiis leni penetralia patris  
50            et mihi gratifica dulcibus alloquiis.  
51        Praeterea, nostrae ne sim velut immemor Emmae,  
52            praesenta nostrum terque quaterque vale.

v.1 Litterulis, seu versiculis, seu carmine laeto  
 2 debueras, quia sat poteras, mandasse valet.  
 3 Te precibus, te carminibus super astra locabam  
 4 atque deis te sidereis sociare parabam.  
 5 Non latuit, res nota fuit, quem te cupiebam ;  
 6 paeniteo, sed vix valeo, quia desipiebam.  
 7 Alter eras quam debueras, quia fictus amicus ;  
 8 at fueram qui debueram, quia fidus amicus.  
 9 Assiduis et continuis congressibus, inquam,  
 10 efficiam neque deficiam quin ista relinquam.  
 11 Non patiar quin aggrediar contemnere fastus  
 12 ipse tuos tam perspicuos et vivere sanus.  
 13 Sanus ero si desiero, meliora probando,  
 14 huic equidem servare fidem qui fallit amando.  
 15 Immo quidem servabo fidem si fallere nitar  
 16 sique tuis jam ficticiis sed et artibus utar.  
 17 Praeterea, si propterea quod corripimus te  
 18 constituas, neque post renuas, te vivere juste,  
 19 sis humilis, fias docilis, puerilia gesta  
 20 non recolo ; remanente dolo, fac honestus honesta  
 21 Exhibeo, nam spe teneo mihi te placitum,  
 22 ut valeas et spe teneas tibi me valiturum.  
 23 Certus eam te possideam, tu possideas me ;  
 24 certus eas me possideas, ego possideam te.  
 25 Suscipe pacificus quia te decoxit amicus,  
 26 castigat puerum quandoque poema severum.  
 27 Verba severa quidem, jocus est si carmina scandas ;  
 28 sic duo carmen agit : coquit et demulcet amicum,  
 29 nomine suppresso, mea quem sententia tangit ;  
 30 quae tamen et fictos astuta remordet amicos.

v.1 Qui mihi gratanter tabulas, Bernarde, dedisti,  
 2 accipe, quas habeo, quas possum reddere, grates,  
 3 quas ego carminibus reddere nunc valeo.  
 4 Reddere nunc valeo quae sint jucunda jocosis,  
 5 reddere nunc valeo studiosis quod sit amandum.  
 6 Carmine more meo reddere nunc valeo.  
 7 Reddo tibi grates, quae debeo praemia reddo,  
 8 Verbum pro verbo, munus pro munere reddo ;  
 9 munera sunt tabulae, verba fuere vale.  
 10 Verba fuere vale, mihi quae postrema dedisti,  
 11 verba fuere vale, quae dans postrema recessi ;  
 12 scandentis mulam verba fuere vale.  
 13 Sermones nostros pia clausula collateravit  
 14 et duo pro tabulis tibi - non ignobile munus -  
 15 quae placitura forent carmina tunc cecini.  
 16 Carmina tunc cecini, quae te mihi contiguarent.

17 Carmina tunc cecini, quorum sapor auxit amorem,  
 18 quae nos consolident, carmina tunc cecini.  
 19 Nec tibi pro modico reputentur carmina nostra,  
 20 vix ego carminibus tabulas compenso duobus,  
 21 sed mihi tu tabulas appretiare facis.  
 22 Appretiare facis quicquid mihi profluet ex te,  
 23 appretiare facis quicquid vis appretiandum ;  
 24 Ergo mihi tabulas appretiare facis.  
 25 Te pretium cujusque rei, te computo summam.  
 26 Dignus es ut quod amas a nobis illud ametur ;  
 27 nam per id impatiens consolidatur amor.  
 28 Consolidatur amor per velle et nolle duorum,  
 29 consolidatur amor, cui non locus incidit alter ;  
 30 cum duo sunt unus, consolidatur amor.  
 31 Haec, Bernarde, tuum satis est cecinisse poetam,  
 32 haec habeas, donec meliora poemata cantem.  
 33 Hoc imitare genus, si genus hoc placeat.  
 34 Si genus hoc placeat, hic sit tua compositura,  
 35 si genus hoc placeat, tantummodo linquere cura  
 36 quaeque nova praeter, si genus hoc placeat.

QUICUMQUE HOS VERSUS LEGERITIS, IMPERFECTUM MEUM VIDEANT  
 OCULI VESTRI ET VOS IMPERFECTI MEI SUPPLEMENTUM ESTOTE.

145 PETRO NOBILISSIMO

v.1 Mitto meo Petro quoddam speciale valetio,  
 2 quod mihi colloquii tempora parturiat.  
 3 Si bene te monui, si quae monui tenuisti,  
 4 si conservasti quae monimenta dedi,  
 5 jam tibi me spero quantumlibet insinuatam,  
 6 insinuatam et te crede profecto mihi.  
 7 Si quoque subtraxit monitus incuria nostros,  
 8 non tamen a nostro pectore subtraheris.  
 9 Ergo tibi breviter ea nunc iterata retracto,  
 10 aurem consiliis en adhibeto meis :  
 11 si quid agas famae quod post cras possit obesse,  
 12 non id lingua levis publicet in triviis ;  
 13 si quis secretos tibi denudaverit actus,  
 14 non hoc, si sapias, improperebis ei.  
 15 Ludens ludenti quisquis consentit amico  
 16 et ludum improperebat, jure negatur homo.  
 17 Si potes, et tua mens splendescat semper et actus ;  
 18 sin autem, saltem te tibi solus habe.  
 19 En nostri noster pecten tibi sit monimentum ;  
 20 hunc ad id ipse dedi, te mihi dante tuum.  
 21 Deprecor id demum, non obliviscere nostri,  
 22 non obliviscar, mi bone Petre, tui.

146 AMATO ARCHIEPISCOPO

v.1 Pontificum lex est veniam praestare roganti ;

2           dissolvit legem qui prohibet veniam.  
3   Optime pontificum, mihi sic applaude roganti  
4           ut mihi pontificem te tua facta probent.  
5   Aures ergo diu pulsatas pande benignus,  
6           quamque rogo supplex inveniam veniam.  
7   Nubibus ablatis, me respice fronte serena ;  
8           quidlibet emendo, si veniam mereor.  
9   Sin autem, certe querimonia nostra coaequos  
10          tanget, ut emendent talia pontifices.

147                   EIDEM AMATO

v.1   En iterum pulso clausas mihi praesulis aures ;  
2          multi vicerunt improbitate sua.  
3   Vicit uterque Deum Petrus et mulier Cananaea,  
4          hic instans lacrimis, illa studens precibus ;  
5   tres panes media jam nocte merebitur alter.  
6          Si petat aut quaerens pulset anhelus homo,  
7   pontificum summus probat et docet improbitatem  
8          et quandoque mihi proderit improbitas.  
9   Vel tua me bonitas compellat, Amate, tacere,  
10        vel veniam supplex impetret improbitas.  
11   Aut certe nescis culpam cui parcere possis,  
12        aut, si culpam scis, parce, rogo veniam.  
13   Et potes et debes, quod supplico, praesul Amate,  
14        indulgere ; tui est juris et officii.  
15   Vos, dominum vestrum pulsate, sui laterales,  
16        ne mihi jam rauco verba det in vacuum.

148                   AD EUM QUI TABULAS AB EO EXTORSIT

v.1   Constat te nostras adamasse, Guiterne, tabellas,  
2          quas sic obnixa sedulitate rogas.  
3   Improbis exactor, nescis cessare rogando  
4          donec me vincas improbitate tua.  
5   Improbe, vicisti. Nunc accipe quod petiisti :  
6          ex nostris unas ecce tibi tabulas.  
7   Etsi non ipsas quas saepius ipse rogasti,  
8          non pretii tamen has inferioris habe.  
9   Has speciale mei fac tecum pignus amoris,  
10        donec colloquium cetera conficiat  
11   hinc si quid jubeas quod possit nostra facultas,  
12        quod non praestitero tunc tibi, non potero.

149                   RICARDO NORMANNO

v.1   Si, Ricarde, meis precibus monitisque favebis,  
2          sim tibi votorum spes indelusa tuorum.  
3   Fallere non potero, qui me non fallit amando ;  
4   pectoris unius jam nunc duo corpora simus.  
5   Tu mihi sis consul, tu secretarius esto ;

6 illud et illud ego tibi me, Ricarde, paciscor.  
7 Crede mihi credamque tibi, sit uterque fidelis,  
8 a sibi commisso neuter defraudet amicum.  
9 Me fidei commendo tuae, me suscipe tutus ;  
10 inveniam tutum, cui me volo credere totum.  
11 Ipse prior gratis, plus ut mihi gratificeris,  
12 continuo, quicquid me velle putaveris, offer.

150 GULLELMO NORMANNO

v.1 Intonsi crines capitis, dissuta lacerna  
2 et color illotae luridus interulae,  
3 et pes incultus simplexque abjectio vultus  
4 sunt, puer, exilii tristia signa tui.  
5 Attamen integritas vultus formaeque venustas  
6 grataque personae compositura tuae  
7 urbanusque modus ad respondenda disertus  
8 signant te puerum sanguinis ingenui.  
9 Factus es exsul, inops, pauper, vagus et fugitivus  
10 ut tibi librorum sarcinulas rapias.  
11 Ipse quidem libris incumbis sedulus atque  
12 exsul ut a patria persequeris studia.  
13 Ergo, compatiens quam suffers anxietati,  
14 te volo divitiis participare meis.  
15 Parva quidem res est quam nunc ego confero, sed cras  
16 augebo donum, te redeunte, meum.  
17 Ergo redi, Guillelme, libens nobisque faveto ;  
18 respondebo tibi si taceas etiam.

151 AD EUM QUI AUENAM SIBI DEDERAT

v.1 Ecce tuae pretium, quod saepe reposcis, avenae.  
2 Exigis usuram, usurae quoque suscipe foenus.  
3 Reddo decem solidos ; solidos vix quinque valebat.

152 DE ROSA AUREA

v.1 Haec rosa pacis ut est non pax, tamen ipsa figura,  
2 sic est ipsa rosae, rosa non tamen ipsa, figura.  
3 Nec rosa nec pax est ; magis est utriusque figura.

153 EMMAE UT OPUS SUUM PERLEGAT

v.1 Qualescumque meos versus complecteris, Emma,  
2 et magnae similas utilitatis eos.  
3 Aut relegis nostrum pro nostro carmen amore,  
4 in quo vix aliquid utilitatis habes,  
5 aut vis ipsa meum sic deservire favorem  
6 atque meis ideo versibus ipsa faves,

7 aut me sub specie laudis ridendo remordes  
8 et deceptivis fallis imaginibus.  
9 Sed tibi nunc totum nostrum commendo libellum  
10 ut studiosa legas, sollicito videas.  
11 Forma censoris, non allusoris amore,  
12 utere, non palpes quod resecare decet.  
13 Nobis, Emma, refert lingua sensuque Sibyllam ;  
14 idcirco librum perlege, quaeso, meum,  
15 cui mea dumtaxat mors "explicit" appositura est ;  
16 rauca cicada strepo, nocte dieque vigil.  
17 Quas vis et quot vis coeant aliquando sorores,  
18 at non indocilis sive loquax coeat.  
19 Garrulitas et lingua procax animusque malignus  
20 fascinat insontes et nocet obloquium.  
21 Inter philosophos valuit collatio multum,  
22 idcirco confer solaque multa lege.  
23 Ore Sibyllino respondeat Emma roganti,  
24 perlegat, extollat, corrigat, adjiciat ;  
25 sex operare dies, celebris sit septima, sicut  
26 mos est Judaeis, nec repetatur opus.  
27 Non eget istud opus studio grandive labore,  
28 nostris sufficeret versibus una dies.  
29 Invenies nullos flores in carmine nostro,  
30 flores urbani scilicet eloquii ;  
31 rustica dicta mihi quia rusticus incola ruris,  
32 Magduni natus, incolo Burgulium.  
33 Burgulius locus est procul a Cicerone remotus,  
34 cui plus caepe placet quam stilus et tabulae.  
35 Attamen iste locus foret olim vatibus aptus,  
36 dum musae silvas solivagae colerent.  
37 Nam prope prata virent illimibus humida rivis,  
38 prataque gramineo flore fovent oculos ;  
39 et virides herbas lucus vicinus amoenat,  
40 quem concors avium garrulitas decorat.  
41 Hic me solatur tantummodo Cambio noster  
42 cujus saepe undas intueor vitreas.  
43 Sed vates silvas jamdudum deseruere,  
44 quos urbis perimit deliciosus amor.  
45 Et dolor est ingens quia vatum pectora frigent  
46 et quia dignatur tecta subire ducum.  
47 Est dolor, et doleo quia gloria nulla poetis,  
48 quod quia ditantur promerere sibi.  
49 Sunt dii, non homines, quos lactat philosophia,  
50 nec deberent dii vivere sicut homo.  
51 Praesul, rex, consul, princeps, patriarcha, monarchus,  
52 littera desit eis, sunt pecualis homo.  
53 Furnos conducat, frutices metat, allia mandat,  
54 qui sapit atque opibus incubat implicitus.  
55 Nam si negligenter sapientes pondus honoris,  
56 invitis etiam subjiceretur honor.  
57 Reges, pontifices, nunc et de plebe minores  
58 aspernantur eos et nihilum reputant.  
59 Quid modo Marbodius, vatum spectabile sidus ?  
60 Eclipsim luna, sol patitur tenebras.  
61 Nunc est deflendus, extinctus spiritus ejus,  
62 nam non est lux quae luceat in tenebris.

63 O utinam afflasset pleno mihi gutture musa !  
64 Nam me nullus honor a studiis raperet.  
65 Nunc quia musa deest et rauco pectine canto,  
66 Emma, meis saltem versibus assideas.

154 MYTHES, SATURNE...

v.1 Abscisis ipsum genuisse virilibus aiunt  
2 inque mari missis philosophi Venerem ;  
3 huncque vorasse suos testatur fabula natos,  
4 quem sic attendit philosophia locum :  
5 ex Pollure sene Saturnus dicitur ortus ;  
6 is quoque regnavit primus in Italia.  
7 Gentibus hic tribuens annonae largiter escam  
8 in populos nomen grande sibi genuit.  
9 Ergo Saturnus dictus fuit a "saturando",  
10 inde maritus Opis, quod faciebat opem,  
11 Polluris genitus, quoniam sua commoda pollen  
12 vel pollucibilis dapsilitatis homo,  
13 velato capite, foliorum scilicet omnes  
14 fructus umbra tegit et quasi mater alit.  
15 Devorat et tempus quicquid genuisse videtur ;  
16 hoc est Saturnus : quod generat comedit.  
17 Ipse gerit falcem, quia tempus quodque recurvum est,  
18 vadens, ut redeat, vel rediens, ut eat ;  
19 aut absciduntur sub falcis imagine fructus  
20 et velut in pelagus projiciuntur adhuc,  
21 cum frugum vires abscisae projiciuntur  
22 in ventris pelagus, unde libido venit,  
23 ut Venus in pelago describitur orta fuisse  
24 Saturni jactis in mare testiculis.  
25 Quatuor attribuit Saturno fabula natos :  
26 Jupiter est primus, Juno Jovis soror est,  
27 alter Neptunus, in quarto cardine Pluto ;  
28 haec elementa legens quatuor esse reor.  
29 Jupiter est ignis, quo vivida cuncta calescunt ;  
30 idcirco primus, nam vigor est animae,  
31 idcirco primus, quia praecedens elementum,  
32 idcirco primus, nam reliquis levius.  
33 Juno secundo loco : manet igni proximus aer,  
34 quem dicunt ideo nomine femineo,  
35 quod velut arcanis complexibus influat ignis  
36 aeris in sinibus atque maritet eum,  
37 et pariter coeant et consona foedera jungant,  
38 utque jugalis eos blandus amor societ.  
39 Denique Neptunus elementum fertur aquarum  
40 Junoni atque Jovi tertius appositus.  
41 Haec sola oppositas formas natura reformat  
42 et similes reddit, quaslibet obtuleris.  
43 Neptunus vero perhibetur ferre tridentem ;  
44 hoc est virtutem propter aquae triplicem :  
45 fecunda est, liquida est, potabilis omnibus ipsa.  
46 Huic Amphitridem conjugium perhibent,  
47 quod conclusa tribus aqua scilicet est elementis,



48 Plutos Junonis circuituque Jovis.  
49 Hoc ipsum nomen Graece perhibere videtur ;  
50 namque "amphi" circum, "triden" enim tria sunt.  
51 Terrarum praesul in quarto Pluto locatur  
52 et "plutos" Graece sunt quasi divitiae.  
53 Propterea Pluto ditissimus esse refertur :  
54 terris divitiae sunt etenim propriae.  
55 Plutonem dicunt ideo regem tenebrarum,  
56 quod sua materies spissior est reliquis.  
57 Ipse gerit sceptrum, quia terris competit illud ;  
58 in terris sceptrum quaeritur et regimen.  
59 Cerberus ille triceps oblatrans ore trisulco  
60 monstrum Plutonis subjicitur pedibus ;  
61 namque statu triplici conflantur jurgia nostra  
62 aut facit haec zelus aut amor aut odium  
63 unum causa facit, natura hoc, accidit illud.  
64 Ut natura canes separat et lepores,  
65 accidit ut verbis homines sua jurgia gignant ;  
66 foedus amoris alit causa vel invidiam.  
67 Plutoni Furiae tres deservire feruntur,  
68 quippe modis totidem saepe domant hominem.  
69 Dicitur Allecto conceptio prima furoris ;  
70 Thisiphone vero voce furit querula  
71 atque Megaera facit, fiat furor et teneatur.  
72 Quilibet his Furiis exagitatur homo ;  
73 nunc hac, nunc illa, nunc omnibus exagitatus  
74 concipit, erumpit atque frequentat homo.  
75 Destinat et fata tria Diti philosophia  
76 (LACUNE)  
77 Clotho vocat ; Lachesis sorti vacat ; Atropos autem  
78 mortis condicio, quae sine lege venit.  
79 Evocat ad vitam Clotho ; quis vivere possis  
80 sortitur Lachesis, Atropos ut perimat.  
81 Harpyas etiam Pluto perhibetur habere ;  
82 Harpyae quoque sunt forma rapax volucrum.  
83 Et translata sonat vox haec "harpya" rapina.  
84 Ethlo "res tollens" dicitur "alterius",  
85 Ocypete "citius rapiens" "nigrumque" Celeno,  
86 fabula quas variis deputat officiis.  
87 Quaelibet est virgo, sterilis quoque quaelibet harum ;  
88 nam sterilis semper quaeque rapina manet.  
89 Praetendunt plumas, quia celat rapta rapina.  
90 Idcirco volitant, namque rapina volat.  
91 Quantumcumque potest, raptor celer ad rapiendum,  
92 ut reddat sterilis, ut tegat illa sagax.  
93 Magno Plutoni Cereris Proserpina nubit  
94 et dea frumenti dicitur esse Ceres.  
95 Laetitiisque Ceres, frumenti copia, gignit ;  
96 nam pleni fructus gaudia parturiunt.  
97 Paulatim crescens Proserpina serpit in altum,  
98 filia quae Cereris jam seges esse queat.  
99 Dicitur hec Hecaten, quae signat dictio "centum"  
100 nam seges in fructum semina centuplicat.  
101 Hanc cum lampadibus dicunt inquirere matrem,  
102 dum velut ereptam femina plangit eam.  
103 Hoc agitur totum ratione videlicet ista :

104 lampade cum Solis flava seges metitur.  
105 Qui nobis est Sol, Graecis perhibetur Apollo,  
106 quod fervore suo decoquit omne virens.  
107 Si mutes Graecum, "perdens" tibi dicet Apollo ;  
108 herbarum succum perdet Apollo calens.  
109 Et de secretis sibi divinatio servit ;  
110 silicet obscura detegit omnia Sol  
111 et sua multimodos effectus orbita monstrat.  
112 Sol, quia sit solus, dictus est a "solito".  
113 Ascribunt Soli tali ratione quadrigam,  
114 anni quod quadrum circuitum peragit  
115 vel quia quadrifidi regiones circuit orbis,  
116 ex quo digna suis nomina dantur equis.  
117 Sol matutino rubicundus fulget in ortu,  
118 hic equus Erythreus fertur, id est "rubeus".  
119 Actaeon "splendens", quod tertia splendeat hora ;  
120 Lampus , qui centrum "fervidior" peragat ;  
121 Philogeus vero "terrae" perhibetur "amator",  
122 quod jam declivus visat anhelus humum.  
123 Attribuit Solis tutelae fabula corvum,  
124 plurima quod vocum signa canorus habet  
125 sive quod aestivis ponens fervoribus ova  
126 producat pullos fructibus in mediis.  
127 Et bene fatidicae volucris congaudet Apollo ;  
128 corvus enim certum saepe dat augurium.  
129 Ascribunt etiam vatibus sibi carmina laurum ;  
130 namque hunc omnimodis hanc ada masse ferunt,  
131 flumine quod Peneo Daphnem dilexerit ortam.  
132 Quae sic philosophus dicta coaptat ei :  
133 fluminis illius sunt littora consita lauro ;  
134 humida nam viridis littora laurus amat.  
135 Et quia gignit humus laurum fluvialis abunde,  
136 fluminis et terrae filia laurus erat,  
137 et quia frigiditas solis contemperat aestum,  
138 sol adamat lauros et fluviale decus.  
139 Est et adhuc aliud, cur hanc adamavit Apollo :  
140 ut dicunt, laurus somnia vera facit ;  
141 nam dormi tui sub vertice ponito lauri  
142 inscriptum folium, somnia certa dabit.  
143 Musarumque novem comitatu gaudet Apollo ;  
144 additur et Musis ipse novem decimus.  
145 Pictus enim cithara jocolatur cum decacorda  
146 totque instrumentis indiga vox hominis :  
147 gutture, pulmone, bis bino dente, palato  
148 conditur et lingua, conditur et labiis.  
149 voci formandae si desit quidlibet horum,  
150 non explet proprium pleniter officium.  
151 Atque novem Musis respectus concinit alter :  
152 est Clio, bene quid cum meditatur homo ;  
153 Euterpe vero "bene delectans" perhibetur,  
154 ut delecteris, cum bene quaesieris ;  
155 tertia Melpomene faciens insistere coeptis ;  
156 germinis et fructus quarta Thalia capax ;  
157 quinta venit memori dans multa Polymnia cordi ;  
158 est Erato sexta, quae generat simile ;  
159 septima Terpsichore, sollers discretio mentis,

160           quod mens inveniet, iudicet ut ratio ;  
161       octava ingenii caelestis proripit actum  
162           Urania probe singula discutiens ;  
163       ultima Calliope profert discussa benigne,  
164           ut tamquam reliquis praebeat ipsa modum.  
165       Tu quoque, si statuis te primum velle doceri  
166           et delectaris, cum docearis, habes ;  
167       si cupis instare, si fructum colligis inde,  
168           si memor accepti, si reperis simile,  
169       si bene discernis, si prudens eligis apta  
170           quae sic pensasti, si bene protuleris,  
171       ordine pro pulchro diceris pulcher Apollo,  
172           pulcher pro vita tam bene disposita.  
173       Ex Clymene Phaetonta ferunt et Apolline natum,  
174           qui currus patrios ut regeret petiit.  
175       Non bene direxit, quos rexit nescius artis,  
176           ex quo paene orbi contulit interitum.  
177       Sol fructus gignit terris conjunctus aquosis ;  
178           ut maturascant ipsius ardor agit.  
179       Murant igitur ; immo jam paene cremantur  
180           et perdunt succum gramina quaeque suum  
181       et festinanter calor omnis surgit in altum  
182           et festinanter praecipitando cadit.  
183       Hunc quoque praecipitem perhibentur flesse sorores  
184           et signum lacrimis exhibuisse suis :  
185       dicitur esse soror totius germinis arbor ;  
186           foedere condigno fervor et humor alit.  
187       Et veluti plorat arbor, quae succina sudat,  
188           quod Sol in Cancro sive Leone facit ;  
189       fervidior caeli tunc est sine nubibus axis  
190           tuncque fluunt fissis succina corticibus.  
191       Sol, quia preterita novit, praesentia cernit  
192           atque futura sciet, utitur augurio,  
193       et quoniam radios mittit, velut utitur arcu,  
194           vel quia caligo destruitur radiis.  
195       Non etenim dubitat recta directa sagitta,  
196           ac si grande jubar depulerit tenebras.  
197       Hinc est quod telo Pythona peremit Apollo ;  
198           nam mala credulitas lumine deprimitur.  
199       Nam "pythos " Graece nobiscum credulitatem  
200           falsam designat, quam necat Architenens.  
201       Nam nihil obscurum, falsum nihil obviat illi ;  
202           omnia falsa ferit, omnia clara facit.  
203       Sit licet ipse pater, tamen est imberbis Apollo ;  
204           virtutem Solis nam nihil evacuat.  
205       Occidit atque redit semperque renascitur idem ;  
206           numquam pigrescit, sed celer et juvenis.  
207       Mercurius vero terrena negotia curat ;  
208           dictus quod mediis mercibus ipse praeest.  
209       In talis pennas huic fabula Graeca coaptat  
210           et virgam innexam nexilibus colubris.  
211       Circumeunt terras intenti mercibus atque  
212           gressibus instabiles sicut aves volitant.  
213       Dant et parturiunt aliquando negotia sceptrum  
214           et rex et consul dives asellus erit.  
215       Serpentem semper portat sub pectore dives,

216           sedula quem rodit sollicitudo lucri.  
217       Huic superapposit capiti pictura galerum  
218           et gallum, noctis qui canit excubias ;  
219       sunt etenim multa velata negotia nube  
220           instigantque suos nocte soporifera.  
221       Et quia lingua juvat mercatores, dicitur Hermes ;  
222           illa sonat siquidem dictio "disserere".  
223       Permeat infernum deus is regnumque supernum,  
224           nam nunc in terram, nunc volat in pelagus.  
225       Furibus ipse favet, perjuris atque rapinae ;  
226           cogit opum tales insatiatus amor.  
227       Argi Mercurius populoso lumine saepti  
228           exemit multos falce secans oculos.  
229       Centum custodes, sapientes denique centum,  
230           quotquot floruerint quolibet ingenio,  
231       ingenium perimit terrenae calliditatis  
232           luminis exstirpans multiplicem segetem.  
233       Inficit, excaecat fraus callida falce maligna,  
234           quos sapiens oculos simplicitatis habet.  
235       Danem corrumpit aurum, non aureus imber,  
236           propter quod favit sollicitata Jovi.  
237       More volans aquilae rapit omnipater Ganymedem  
238           pincernamque sibi Jupiter associat.  
239       Graecia mendax est, sed honeste Graecia mendax ;  
240           alludit rebus garrulitate sua.  
241       Juppiter adversus Titanes bella gerebat ;  
242           hic aquilam visam fecit in auspiciis.  
243       Aurea fit volucris. Ganymedes, hac praeunte,  
244           vincitur et fugiens a Jove diripitur.  
245       Exierat siquidem Saturnius in Ganymedem,  
246           quae post Romani signa tulere sibi.  
247       Europam in tauro rapuisse scribitur idem,  
248           Isiden in vacca : navis utrumque fuit.  
249       Haec vaccae navis, haec tauri praetulit instar ;  
250           commento tali res adoperta fuit.  
251       Medusam Perseus interfecisse refertur  
252           et superasse hostes Gorgoneo capite.  
253       Tres genuit Phorcus, quarum locupletior harum  
254           et major Medusa callidiorque fuit ;  
255       utpote quam monstrum dicunt ex parte fuisse,  
256           huic serpentinum qui caput attribuunt.  
257       Obtinuit regnum defuncto filia patre ;  
258           olim multiplices mox geminantur opes.  
259       Namque colens terras, quod "gorgon" significabat,  
260           et patris et regum virgo praeibat opes.  
261       Perseus attemptat bello superatque puellam  
262           affectans regnum divitiasque sibi.  
263       Vindicat utrumque, caput aufert Gorgonis ipse  
264           objiciens vitreum belligere clipeum.  
265       Navigio vectum perhibent volitasse tyrannum ;  
266           hic caput abscidit, dum diadema rapit.  
267       Per caput abscisum multos mutasse refertur :  
268           quippe per ablatas undique divitias,  
269       plurima regna suum vir transtulit in dominatum  
270           reges et comites subjiciendo sibi.  
271       Taliter Atlantis regnum sibi victor ademit

272 in montem cogens solivagum fugere ;  
273 in montem versus quocirca dicitur Atlas,  
274 quod caesi capitis Gorgonis egit ope.  
275 Quod sensus plenum subtilis Graecia ponit :  
276 triplex in nostris pectoribus timor est,  
277 quod dicuntur tres ille signasse sorores ;  
278 namque timor primus pectora debilitat,  
279 alteriam mentem dispergit debilitatam,  
280 caligat capitis tertius intuitum,  
281 nomina quod resonant : nam Stheno "debilitas" est ;  
282 Euryale vero " sparsio lata" sonat ;  
283 tertia jam veluti "nequeat" Medusa "videre",  
284 nam nimium timidus providus esse nequit.  
285 Perseus haec perimit ; casus sapientia spernit.  
286 Hic volat et semper vir probus impiger est.  
287 Respicit oblique, viciosum despicit omne  
288 (LACUNE)  
289 Nam bene qui sperat in spe ventura figurat ;  
290 quae bona spes vitreo praeniteat clipeo.  
291 Sanguine Gorgoneo perhibetur Pegasus ortus,  
292 fama famosum quem similamus equum ;  
293 adversis etenim quicumque viriliter obstat,  
294 ipse sibi famam vir sapiens generat.  
295 Hinc est cornipedis quod Musis ungula fodit  
296 fontem ; fama quidem profluit ut fluvius.  
297 Ex fama Musae capiunt quod vaticinentur ;  
298 heroas etenim vivere fama facit.  
299 Ut muliere mala nihil est tenebrosius umquam,  
300 sic muliere bona lucidius nihil est.  
301 Admeto regi fatalis femina nupsit,  
302 Alcestem dico, foedere pacta novo ;  
303 nam pater illius edictum voverat istud,  
304 ut, si quis thalamos virginis expeteret,  
305 primitus ad currum quam lilia nuberet illi  
306 dispariles geminas jungeret ipse feras.  
307 Admetus vero suspensus amore puellae  
308 a dis consilium postulat et recipit.  
309 Alcides etenim simul et praesagus Apollo  
310 exhibuere duas et domuere feras ;  
311 aprum junxerunt et conjungere leonem  
312 et sic optatis rex potitur thalamis.  
313 Rursus et Admeto quaerenti dixit Apollo :  
314 "Ultro si pro te quis moreretur homo,  
315 haud secus, instantem posses evadere mortem".  
316 Et jam prae morbo mors aderat nimio.  
317 Offert ad mortem se Alcesta libenter ituram ;  
318 vadit, sed virtus Herculis hanc revocat.  
319 Iverat Alcides Cocyti visere regna ;  
320 invenit, educit, conjugium reficit.  
321 Haec sic falsa patent ut nulli falsa putentur ;  
322 ergo aliud tempus postulat et ratio.  
323 Non puerile sonat commentum philosophiae ;  
324 ossibus in duris grata medulla latet.  
325 Admetum mentis ad formam Graecia ponit ;  
326 dicitur Admetus, cui queat esse metus.  
327 Mens est ille locus cui plurimus incubat horror ;

328 indiget idcirco conjugis auxilio.  
329 Accipit Alcestem : praesumptio dicitur "alce",  
330 res nimium menti grata pusillanimitas.  
331 Mens etenim semper tamquam praesumere debet  
332 indiga consilii sola vagans socii.  
333 Ergo sub istius volucris vertigine vitae  
334 aptet virtutes corporis atque animi.  
335 Corpus signat aper, animum leo ; subjuget ista,  
336 quisquis vult vitae vir superesse suae.  
337 Qualiter hoc fiat, virtus, sapientia dicent ;  
338 Alcides illud, illud Apollo docet.  
339 Optima tunc conjunx incommoda quaeque subibit  
340 pro sibi dilecto conjuge sollicita.  
341 Hanc etiam Alcestem pro conjuge deficientem  
342 eruet Alcides sedibus a Stygiis ;  
343 nam bene praesumens si mens elapsa vacillat,  
344 (LACUNE)  
345 humanae vitae tres comparat aequiperandas  
346 per totidem motus philosophia deas :  
347 Juno, Minerva, Venus ; hae scilicet assimilantur  
348 humanis statibus ordine dissimili  
349 namque vacant alii contemplandae deitati  
350 hosque theoreos jure vocare queas ;  
351 suntque sub activae quidam molimine vitae,  
352 quos mundi vortex et labor exagitat ;  
353 et sunt, quos carnis cura incentiva fatigat  
354 atque sibi tota sedulitate vacant ;  
355 hi sunt, quos potius vexat petulantia luxus  
356 quosque petulcus amor praecipitat Veneris,  
357 ut genus hoc vitae dicatur jure voluptas,  
358 quo votum faciat quod caro praecipiat.  
359 Ponitur exemplum nobis lis ipsa dearum  
360 cui finem statuit Troicus ille Paris.  
361 A Jove quaesitum est quae praeponenda fuisset ;  
362 transfert judicium Juppiter ad Paridem.  
363 Nam damnando duas praeferret Juppiter unam  
364 quam solam mundus scilicet expeteret,  
365 hincque ideretur libertas adnihilata  
366 arbitrii nostri discutiente deo.  
367 Namque quis auderet, nisi quod deitas docuisset,  
368 a Jove convictus dicere vel facere ?  
369 Fertur ad arbitrium sententia judicialis ;  
370 decipitur pastor, fallitur arbitrium.  
371 Ecce voluptatem praeponit caeca libido ;  
372 nam neque divitiae nec Deus appetitur.  
373 De Jove propterea fertur prodire Minerva ;  
374 nam contemplator haeret ubique Deo.  
375 Ingeniique locum physici dixere cerebrum ;  
376 idcirco haec eadem nascitur ex cerebro.  
377 Arma gerit, munita quidem sapientia vadit ;  
378 cristam cum galea fert cerebrum sapiens  
379 semper it armatus vir prudens atque decorus ;  
380 crista caput decorat, protegit et galea.  
381 Fertur Athenarum factrix altrixque Minerva ;  
382 nam sapientum urbes et sua corda fovet.  
383 Huic etiam divae picta est in pectore Gorgon :

384           prudentis pectus grandis imago metus  
385           longam fert hastam, quoniam sapientia longe  
386           percutit, et tegitur veste latens triplici.  
387           Et quia fulgorem numquam sapientia perdit,  
388           noctua noctis avis jure dicatur ei.  
389           Suggestit activae dea luno juvamina vitae ;  
390           nam quia luno "Juvat", dicitur inde magis,  
391           luno praeest regnis, quia regnis divitiae sunt  
392           vicinae ; pauper nullus in orbe praeest.  
393           Ipsa caput velat, quoniam marsuppia celat  
394           qui fieri dives temptat anhelus homo.  
395           Ipsa dea est partus, quoniam dea divitiarum ;  
396           et nunc divitiae fertilitate tument,  
397           nunc et abortivum faciunt sine germine finem  
398           atque fatigatis dans steriles reditus.  
399           Ejus tutelae pavonem dant oculatum ;  
400           nam quos splendentis vexat honoris amor  
401           et quos vita petax fulgoris et ambitionis  
402           allicit, in cauda rejiciunt oculos  
403           deformique modo denudant posteriora,  
404           cum tendunt alias quam decet intuitum,  
405           atque ambitarum processus divitiarum  
406           denudat domini posteriora sui.  
407           Huic signum pacis rutilans ascribitur Iris,  
408           Iris fortunae casibus assimilis ;  
409           sicut enim formis rutilat bicoloribus Iris,  
410           sic fortuna duo gaudia prognerat.  
411           Exsultat corpus, exsultat spiritus ejus  
412           cui fortuna favet fenore plena gravi ;  
413           utque repentino defectu deperit Iris,  
414           sic fortuna fugit circuitu subito.  
415           Activam vitam per plurima luno figurat :  
416           aer activis praesidet illecebris ;  
417           qui vacat activis et temporibus redivivis,  
418           hic eget aeriae commoditatis ope.  
419           Per Venerem vero, quam laudat homo pecualis,  
420           vita voluptati dedita detegitur.  
421           Nam Venus est "aphros ", "aphros" quoque spuma vocatur ;  
422           momento simili spuma Venusque perit.  
423           Haec ex Saturni genitalibus in mare jactis  
424           dicitur orta, quod est apta figura rei.  
425           Saturnum tempus, vires intellige succos ;  
426           vires ceduntur, messis enim metitur,  
427           et quae per succi vires viruere metuntur ;  
428           in ventrem vadunt, scilicet in pelagus -  
429           venter enim pelagus venterque vocatur abyssus - ,  
430           atque satur venter prognerat Venerem :  
431           distentus venter nequit esse libidinis expers ;  
432           friget, si desit Bacchus et alma Ceres.  
433           Hanc pingunt nudam, quia nudis convenit ipsa  
434           nuda Venus nudas esurit illecebras,  
435           nec celare nefas valet incentiva libido ;  
436           affectatores nudat ubique suos.  
437           Philosophia rosas Veneris famularibus addit :  
438           ut stipes pungat et folium rubeat,  
439           peccatum pungat, rubeat pudibunda libido ;

440           mox rosa marcescit, moxque Venus liquefit.  
441       In coitu promptas huic ascripsere columbas.  
442           Haec natat et finis naufragus est Veneris.  
443       Pingitur et concham portare libido marinam  
444           corpore quae toto prosilit in coitum.  
445       Quaestio jam vetus est, quaesitum est saepe, quid horum  
446           aut rex aut vinum praevalet aut mulier.  
447       Graecia subtilis subtili indagine rerum  
448           nobis insinuat, quid potius valeat.  
449       Indicat id verbis, probat autem rebus idipsum  
450           exemplum faciens Herculis indicium.  
451       Ultra jus et fas adamaverat Omphalen Hercules,  
452           propter eam nentis quando subivit opus.  
453       Vincitur invictus, invictum femina vincit ;  
454           quae mollit durum, mollis erat mulier.  
455       Virtutis digiti subsunt operi muliebri,  
456           cui torquet fusum magnus homo teretem.  
457       Femina quem superat, mundus superare nequibat ;  
458           quod natura negat, heu, mulier peragit.  
459       Omphalen haec carnis est incentiva libido,  
460           quae domat Alcidem, vir sibi quando favet.  
461       Vir venit ad fusum : fusum vertigine rerum  
462           virtutem perdit ; carnis agenda facit,  
463       quando petulcus homo pecuali cogitur usu,  
464           ut totus carnis serviat illecebris.  
465       Herculis et Caci sequitur memorabile factum.  
466           Quod, quia res mandat, pagina nostra canat.  
467       Alcidi Cacus furti subduxerat astu  
468           tauros inque suis rupibus abdiderat.  
469       Transversis pedibus praedam deduxerat amens ;  
470           sic furtum Alcidem posse latere putat.  
471       Aggreditur furis speluncam strenuus heros,  
472           cui fumum Cacus objicit et nebulam.  
473       Sed tamen Alcides sua vendicat, impetit hostem  
474           furem producit furtaque de tenebris.  
475       Et fumum et nebulas eructuat omnis iniquus ;  
476           qui falsum dicit sicut utrumque vomit.  
477       Falsa quidem semper sic sunt contraria veris  
478           ceu fumus luci, ceu nebula est oculis.  
479       Obicit occultos sermones et tenebrosos  
480           mendax veridicis veraque latro tegit.  
481       Furatur, celat fur nequam res alienas  
482           opponens falsas flagitii nebulas.  
483       Transversis pedibus, quia versis callibus itur,  
484           ut dolus, ut furtum fiat et omne malum.  
485       Transversaue via mendax aliena retentat ;  
486           nam distat nimis a simplicitate dolus.  
487       Attamen et nebulas virtus dispergit iniquas,  
488           effringit latebras insequiturque dolos ;  
489       nam si decipulas protendat mille simultas,  
490           non tamen evadet Herculis ipsa jubar.  
491       Invidet ipsa bonis, Alcidem scilicet odit,  
492           invadit mentis primitias vitulos.  
493       Hocque fit in caveis ; non est frons libera furis,  
494           non audet rectam pergere latro viam.  
495       Idcirco natus de terra dicitur Anteus



496 quod de carne venit putida luxuries.  
497 Et duo conflagunt, pugnant faciuntque duellum,  
498 donec deficiens occidat alteruter.  
499 Alcides, Anteus : virtus carnisque libido,  
500 hiis intestina et sedula seditio.  
501 Sicut et Alcides, dum a terra submovet Anteum,  
502 vincit, donec item tangere possit eam,  
503 et sicut vires cum tacta matre resumit  
504 Anteus ad bellum regrediens potior  
505 et velut Alcides, ubi vires comperit Anteum  
506 tangendo matrem mox renovare suas,  
507 alte suspendit, suspensum sustinet alte  
508 et non deponit, donec eum perimat,  
509 sic animi virtus et carnis dimicat aestus  
510 et par et similis instat utrique labor.  
511 Luxuries equidem proles et filia carnis,  
512 quo matri interior, hoc quoque fervidior ;  
513 cui si vult animi discreta resistere virtus,  
514 sublevet a terra matris ab uberibus,  
515 carnis ab illecebris mentem suspendat in altum  
516 suspensam teneat, in superis maneat.  
517 Hinc virtus vitium, tunc Hercules subruet Anteum ;  
518 ni suffragetur terra, perit vitium.  
519 Serpentes aliquando duos concumbere vidit  
520 et percussit eos Tiresias baculo.  
521 Ergo fit mulier. Rursus concumbere cernens  
522 ipsos serpentes percutit et fit homo.  
523 Juppiter et luno quaesiverunt aliquando  
524 utrum hominis major an mulieris amor.  
525 Eligitur iudex, qui sexum novit utrumque,  
526 Tiresias, qui vir ac mulier fuerat.  
527 Tres hominem tantum mensuras dixit habere ;  
528 nam "triplum mulier, inquit, amoris habet".  
529 Juno commota miserando lumen ademit ;  
530 participem divum Juppiter egit eum.  
531 Haec naturali moderamine singula surgent :  
532 Tiresias instar temporis accipitur.  
533 Et vernum tempus maribus jure assimilatur,  
534 tempore quo clausum germen adhuc latitat  
535 ad coitum vero quia mox animalia tendunt,  
536 tempus, Tiresias ipsa coire videt.  
537 Et ferit haec virga, fervoris scilicet aestu.  
538 Vertitur in sexum denique femineum.  
539 Nam concepta prius quasi quodam matris in alvo  
540 emergunt propriis semina folliculis ;  
541 tunc parit ut mulier, quia mascula germina gessit.  
542 Post partum vero mascula forma redit ;  
543 tempus ab autumno quoniam sua germina stringit,  
544 tunc sua tolluntur arboribus folia,  
545 singula vitalis arent commercia succi,  
546 tunc decalvantur vinea, prata, nemus  
547 Tiresias terram tunc cernens concipientem  
548 percutiensque suis frigoribus fit homo.  
549 De ratione quidem genuina fertur amoris  
550 inter majores quaestio facta deos.  
551 Tempus discernit, etenim discernere novit,

552           qui plus quive minus commoda suppeditent.  
553   Temporis arbitrium duo quaerunt : ignis et aer,  
554           qui duo fecundant convenienter humum.  
555   Arbiter est tempus, quia "triplum porrrigit illi  
556           aer humoris et pietatis" ait.  
557   Aer in glebis terram ad tempusque maritat ;  
558           eliquat in foliis, folliculis gravidat.  
559   Igneus exsecat sucosa foramina Phoebus,  
560           ut maturascant accelerans segetes.  
561   Tempus caecatur, quia caligante nigrescit  
562           aere, cui quasi nox accidit ex hieme.  
563   Suggerit occultos Jovis illi vena vapores  
564           atque futurorum dat sibi notitiam ;  
565   hac de re Janus bifronsque bicepsque locatur ;  
566           nam transacta tenet atque futura videt.  
567   Si desunt caelis munimina non violanda,  
568           nonne magis terris ? Audio grande novum.  
569   Non dicit verum, sed dicit Graecia mirum,  
570           et latet in Graecis gratia ficticiis.  
571   Ignes usurpat solis furando Prometheus ;  
572           involat, abscondit vivificatque lutum  
573   ipse lutum sollers hominis plasmaverat instar  
574           nec poterat crudum vivificare lutum.  
575   Alloquitur figulum formam mirata Minerva ;  
576           sponte sua spondet ars sua quicquid habet.  
577   Si quid de donis caelestibus ipse juberet,  
578           ad supplementum protinus adjiceret.  
579   In terris positus se nullo dicit egere.  
580           "In caelis", inquit, "nescio quid lateat.  
581   Si me sustollas ad caelos usque, videbo  
582           si quid opus valeat condecorare meum."  
583   Ilico protectum clipei septimplicis orbe  
584           ad caeli sedem detulit artificem.  
585   Et dum rimatur caeli secreta videndo,  
586           novit quod vegetat vivida cuncta vapor.  
587   Mox face correpta Phoebi contingere sphaeram  
588           praesumpsit flammam diripiendo sacram,  
589   qua ferula pectus coalescens effigiei  
590           divino pectus lumine vivificat.  
591   Quam modo castigant condigna piacula culpam :  
592           non defecturo vultur adest jecori.  
593   Non vultur cessat, jecur autem semper abundat ;  
594           poena in continua continuatur homo.  
595   Haec res ut facta est, sic est quoque fabula vera ;  
596           si credo neutrum, non reor alterutrum,  
597   hac de re multi senserunt multa poetae.  
598           Vultur livor edax cor comedens hominum est.  
599   Idola significant primum fecisse Prometheus ;  
600           haec vivunt in eis qui venerantur ea.  
601   Nosque Prometheus pronostica dicimus esse,  
602           quae deitatis sunt praecipue propria.  
603   Destinat, attendit, dispensat, providet atque  
604           ut sapiat deitas est speciale sibi.  
605   Hoc est : astat ei semper discreta Minerva,  
606           ut sit utrimque deus providus et sapiens ;  
607   providus et sapiens hominum sua membra coaptans

608           inspiravit ei de superis animam.  
609       Dicit philosophus, gentilis adhuc profitetur  
610           divi particulam fomitis esse animam.  
611       Providus ergo deus, sapiens deus adjicit ignem  
612           De caelo ratpum corporibus luteis.  
613       Ingenium gignit curam, cor cura perurit ;  
614           sic comedit vultur, cura, virile jecur.  
615       Affirmant quidam quoniam sapientia sedem  
616           ponit in humani pectoris arce suam,  
617       quae cita, quae volitans, quae sollicitudinis ala  
618           discendi rostro sollicitat jecora.  
619       Et quod dicatur per parta simillima vultur  
620           hic mundus, nostros non lateat socios :  
621       volvitur et volitat versatilis alite penna  
622           mundus et ut vultur inquires afficitur.  
623       Etsi mundus habet jam mortua corpora mille,  
624           pasci dicatur mille cadaveribus.  
625       Incrementa jecur recipit, ne desit edenti ;  
626           vadunt et redeunt corpora, si pereunt.  
627       Mors jecori nostro semper, dum vivimus, adstat,  
628           adstat, dum morimur ; est in utroque timor :  
629       haec sic dispensat sapiens et diva potestas.  
630           Hactenus ut fecit hoc jecur, haec volucris,  
631       deficient pariter neque primum defluet alter ;  
632           durabunt pariter non magis alteruter.  
633       Pandora dicta fuit quam fecit imago Prometheus  
634           "cunctorum munus" et "generale bonum".  
635       Luna favet furtis tamquam res invida luci ;  
636           sol autem Veneris nudat adulterium.  
637       Si Mars atque Venus sub Luna concubuissent,  
638           celaretur adhuc Martis adulterium ;  
639       sed quoniam temere gemini sub sole coibant,  
640           Vulcano Veneris prodidit ille scelus.  
641       Vulcanus vero religatos turpiter illos  
642           ostendit superis turpe nefas operis.  
643       Fortiter artabant adamantina vincla ligatos  
644           nec solvi poterant absque favente deo.  
645       Hinc irata Venus nimio cogente pudore  
646           in Solis vindex erigitur sobolem.  
647       Quinque quidem natas pulchras Sol pulcher habebat,  
648           quas omnes nimio cogit amore Venus.  
649       Succensae pereunt ; uruntur amore, furore  
650           non pereunt uno funere, sed vario.  
651       Ecce poetarum perlecta garrulitate  
652           investigemus, quid latet interius.  
653       Credo, vivit adhuc nobiscum fabula lecta ;  
654           vivit enim quicquid fabula significat.  
655       Dormitans virtus vitiis aliquando feritur,  
656           ut sit Mars virtus sitque libido Venus.  
657       Sed nequit abscondi, si possit debilitari ;  
658           omnia Sol cernit et patefacta facit.  
659       Luxuriae fervor, Vulcanus, fervidus ignis,  
660           adstringit miseram nexilibus vitiis,  
661       mox Venus effrenis, hoc est vitiosa libido,  
662           lucifluam Solis aggreditur sobolem ;  
663       aggreditur sobolem, quae quondam filia lucis

664           lucebat felix orta parente deo.  
665       Quinque quidem sensus animi facienda regentes  
666           succumbunt subito terribili vitio ;  
667       nam corruptela fuscantur deliciosa,  
668           quos amor illicitus inquinat et varius.  
669       Visus, qui reliquos debet conducere sensus -  
670           nam palpanda notat et videt hoc quod amat  
671       cernit odorandum degustandumque saporat -,  
672           dum docet ut fiat, primus amando furit.  
673       Hoc Pasiphe sonat, (haec) "apparens omnibus" ; hoc est :  
674           hic sensus reliquis imminet ac superest.  
675       "Visio nulla" sonat Solis Medea secunda ;  
676           humanas aures visio nulla ciet.  
677       Quid vero dicit cautissima Graecia Circe ?  
678           Possumus id "manuum" dicere "judicium".  
679       Phaedram "odoratus" quasi suavem praestet odorem.  
680           "Acrum " Dirce sonat ; hoc igitur sapor est.  
681       Sic Solis soboles, sic lucis fulgida proles,  
682           quae debet nostras irradiare domos,  
683       obruta conflictu, quassata libidinis ictu  
684           saltu praecipiti praecipitata ruit.  
685       Nos "tractativas" Sirenas dicimus esse ;  
686           tres etenim tractus tempus amoris habet.  
687       Alliciunt homines tres motus illecebrarum,  
688           alliciunt visus, cantus et usus eos.  
689       Quaedam commendat speciei visa venustas ;  
690           aures demulcet vocula dulce sonans ;  
691       at consuetudo nexus confirmat amoris.  
692           His tribus illecebris nectitur omnis amor.  
693       Has obturatis dum transit miles Ulixis  
694           auribus, in varias vertitur effigies  
695       viderat ipse quidem Sirenas audieratque ;  
696           ipsarum quare sustinet insidias,  
697       indemnis vero furias transivit Ulixes ;  
698           vidit et audivit, iudicium apposuit.  
699       Illecebras mundi quoniam sapientia transit,  
700           at Sirenarum negligit intuitum,  
701       aure quidem surda carnis postponit amorem,  
702           nil est quod timeat, nil quod ei noceat.  
703       Jam quoque de nugis mundanis iudicat audax ;  
704           luxuries igitur sic in ea moritur.  
705       Hoc est : Sirenae viso moriuntur Ulixes ;  
706           nam sapientis mens confodit omne nocens.  
707       In sapientis enim penetralibus interit omnis  
708           affectus carnis, emoritur vitium.  
709       Hinc est, quod dicit "peregrinus" nomen Ulixis ;  
710           a mundo virtus nam peregrina migrat.  
711       (LACUNE)  
712           LACUNE)  
713       hanc odit Circe, discretio judicialis,  
714           mentis "iudicium " cum studio "manuum ".  
715       Nescit enim manuum mulier lasciva laborem ;  
716           solatur vitam casta labore suo.  
717       Innocuus sollers Scyllam pertransit Ulixes ;  
718           nam mundi rabiem transit homo sapiens.  
719       Hinc sua Penelope perhibetur casta fuisse,

720 conjugium ut castum vir sapiens habeat.  
721 Divitiis nullis umquam satiatur avarus,  
722 quod Midae regis fabula lecta docet.  
723 Instantis Midae votis pulsatur Apollo,  
724 instat supplicibus rex siquidem precibus,  
725 ut, quicquid tanget rex, fiat protinus aurum ;  
726 oranti tandem favit Apollo bonus.  
727 Rex voti compos ditatur divite gaza ;  
728 sed compos voti corporis impos abit.  
729 Plurima sunt aurum quia plurima tangit avarus ;  
730 jam riget interula, tacta lacerna riget.  
731 O miserum votum, quod mox penuria punit !  
732 Punit opes miseram continuata fames.  
733 O regem miserum, quem farcit copia rerum  
734 et totus dives esuriem patitur !  
735 Panem tangenti quis suppetat usus edendi ?  
736 Aureus est potus, aureus et cibus est.  
737 Si sapit, illiciti jam voti paenitet ipsum,  
738 jam pro buccella mille talenta daret.  
739 Alloquitur superos iterum rex poplite flexo ;  
740 supplicat, ut mutent quod sibi contulerant.  
741 Pro superis misero solus respondet Apollo :  
742 "Ter sub Pactolo flumine merge caput."  
743 Mox igitur flavis Pactolus fulsit arenis,  
744 quem divi jussu Mida ter attigerat.  
745 Ridet avaritiam Graecus per philosophiam ;  
746 omnia nam cupidus aequiperat pretio.  
747 Aurea vota gerit, rogat aurum, somniat aurum  
748 insatiata fames atque amor altus opum.  
749 Mida "sciens nihil" est, quia certe nullus avarus  
750 vel sibi vel sociis utilis esse sapit.  
751 At quod Pactoli rex ter caput abluit unda,  
752 aurea quo facto regis arena fuit,  
753 signat, quod cupidi congesta pecunia regis,  
754 quam sibi rex locuples computat esse caput,  
755 in derivandum sit dedita fluminis alveum,  
756 quem Mida (lacune) tribus diffidit alveolis.  
757 Pactolus siquidem, qui dudum fluxerat unus,  
758 ecce triceps Mide sumptibus efficitur.  
759 Ecce rigat terram cursu triplo sitientem  
760 arvaque fecundat aurea fertilitas.  
761 A Jove Vulcanus quasi pro mercede Minervam  
762 jam sibi promissam conjugio petiit ;  
763 Vulcano siquidem, cum fulmen ei fabricasset,  
764 respondit largus taliter astripotens :  
765 "Ecce roga quodvis ; quicquid tua cura rogabit,  
766 pro mercede tibi profluet emerita."  
767 Mox in conjugium deus expetit ille Minervam  
768 uti conjugio vult deus ille deae.  
769 Armis ut propriam tueatur virginitatem  
770 Juppiter indulget sollicitatque deam.  
771 Introeunt subito thalamum certaminis ambo  
772 inque deam totus belliger erigitur.  
773 Tum colluctantur ; Vulcanus fervet et ardet  
774 totus et in vetitum porrigitur coitum.  
775 Nam dilatatus amor stimulos ardentibus addit,

776 at facibus nullis fervet amor facilis.  
777 Ergo pavementum Vulcanus semine foedat  
778 sicque calor totus protinus egeritur.  
779 Fertur Erichthonius ex ipso semine natus,  
780 in cista clausum quem dea virgo tenet.  
781 Addit custodem praefata Minerva draconem  
782 germanasque duas mittit in obsequium.  
783 Vulcanum Stoici volverunt pectoris ignem,  
784 qui quandoque calor prosilit in furiam ;  
785 namque "voluntatis calor" ac si fulgura gignit,  
786 quae fabricante furor nascitur artifice.  
787 Vulcanus jungi desiderat ecce Minervae,  
788 pectora prudentum cum furor exagitat ;  
789 namque aliquando furor sapientum corda fatigat  
790 et subrepat eis flagitiosus amor.  
791 Attamen et morum sapientia simplicitatem  
792 illaesam munit intrepidamque fovet.  
793 Dum virtus animi sibi detinet integritatem,  
794 nec commisceri se patitur vitiis,  
795 nec furor attemptans sapientem quid generabit  
796 preter Erichthonium, scilicet "invidiam".  
797 Invidiam generat, dum dimicat et superatur ;  
798 scilicet invideat : nil aliud poterit.  
799 Idcirco currum prior invenisse refertur,  
800 illud certamen quod parit invidiam.  
801 Hunc in cistella clausum sapientia ponat ;  
802 vir sapiens etiam corde tegat furiam.  
803 Insiapiens equidem per compita cuncta revelat  
804 nec moderatoris utitur imperio.  
805 Huic dat custodem discreta Minerva draconem  
806 fortem cautelam solliciti studii.  
807 Virginibus mandat : Pandeia dicitur una,  
808 nobiscum "munus " quod " generale " sonat,  
809 Aglauros vero est "oblivio tristitiarum" ;  
810 quae duo discretis actibus exhibeas :  
811 scilicet aut iram subito compesce benignus,  
812 quae bona temperies est generale bonum,  
813 aut, quicquid nocuit, oblivio deleat omne ;  
814 custodes geminas has tibi contigua.  
815 Nil oblivisci plus possis quam furibunda  
816 quae tibi compegit quilibet opprobria.  
817 Inspice quid valeat, quid agat sapientia casta,  
818 cui vim Vulcanus non potuit facere.  
819 Juppiter et Semele dicuntur concubuisse,  
820 quo Liber pater est concubitu genitus.  
821 Haec igitur crepuit, quoniam cum fulmine venit  
822 et tonitru magno Juppiter ad coitum.  
823 Unde pater puerum tulit anxius atque locavit  
824 sicut abortivum sub proprio femore.  
825 Hunc iterum natum fertur mandasse Maroni,  
826 qui puero curam conferat et regimen.  
827 Is debellavit adultus fortiter Indos  
828 nec mora caelicolis additur ipse deus.  
829 Digna coaptatur dis fabula sive deabus :  
830 nam tales talis mentio condecuit !  
831 Ecce placet superis ardens commixtio carnis

832 et superi superos sicut homo generant !  
833 Est etenim coiisse deos aliquando deabus  
834 credere ridiculum magnaue perfidia.  
835 Ergo alium sensum Graecorum fabula quaerit ;  
836 dicit, non sentit Graecia ridiculum.  
837 Quatuor ascensus generat genus ebrietatis,  
838 quos germanarum dat totidem numerus.  
839 Prima furit, vinum cum quis bibit immoderate  
840 id quoque declarat "vina" <..> quod sonat Ino. (vers lacuneux :  
841 Moxque gerendarum superest oblivio rerum 1 syllabe manque.)  
842 illi qui vino concaluit nimio.  
843 Id sonat Autonoe, quae "se cognoscere nescit" ;  
844 ebrius ignorat seque suasque vices.  
845 Regnat enim Semele (lacune membra soluta  
846 namque "intemperies corporis" est Semele.  
847 Ex hac praecipue legitur Liber pater ortus :  
848 ex nimia luxus ebrietate venit.  
849 Haec tria juncta simul dissolvunt debilitatum  
850 et genus in quartum trajiciunt miserum -  
851 scilicet insanit, si quarta sequatur Agave.  
852 Jam nec ab illicitis se cohibere potest ;  
853 hoc est quod nati caput amputaverit ipsa :  
854 ebrietas perimit primitias s..(LACUNE).  
855 Hasque vocant vaccas vinoque ..(LACUNE).  
856 Quae scelus et vinum, nil aliud, faciunt.  
857 Dicitur et Liber, quia vinci passio mentes  
858 liberat a cunctis sollicitudinibus.  
859 Dicitur ipse pater, quod vin ..(LACUNE)  
860 Addit enim generans corque jecurque suum.  
861 Perculit hic Indos, quia gens ..(LACUNE).  
862 Vel potatores sol quod ..(LACUNE).  
863 Vel regio vinum quod ..(LACUNE)  
864 Cui vino nimiae virtuti ..(LACUNE)  
865 A Jove mandatur Maroni ..(LACUNE)  
866 Namque merum sobol.. (LACUNE).  
867 Dicitur hic sed asse..(LACUNE)  
868 Nam vinum omne domat quod feritate tumet.  
869 Quae siquidem laeta feritati vina resistunt :  
870 efferatas mentes mitigat ille liquor  
871 (LACUNE)..t nos dicitur ille Lyaeus,  
872 mentes quod leniunt mitia vina graves.  
873 (LACUNE)..maturascere nescit ;  
874 ideo juvenis pingitur iste deus.  
875 Pingitur et nudus quia nudos efficit aedes  
876 (LACUNE)... interio..... sui.  
877 Quamvis sit turpis per cuncta libidinis ardor,  
878 (LACUNE).. sit principibus proprior  
879 (LACUNE).. princeps aliis excelsior exstat  
880 (LACUNE).. culpa pianda patet  
881 (LACUNE).. siquidem genuina noverca  
882 (LACUNE).. saeva libido nocet  
883 (LACUNE).. tollit praerupta libido  
884 (LACUNE)..tos facit ire nefas  
885 (LACUNE)..tilis erat deitatis  
886 (LACUNE).. a Jove principium  
887 (LACUNE).. tis et impietatis

888 (LACUNE)..e principium  
889 (LACUNE).. cygni sub imagine venit  
890 (LACUNE)..mma concubitu  
891 (LACUNE).. Pollux oriuntur  
892 (LACUNE).. nascitur hinc Helena  
893 (LACUNE).. itatur aperte  
894 (LACUNE)..rre fidis  
895 (LACUNE).. sensum  
896 (LACUNE)..ocus est  
897 (LACUNE).. potestas  
898 (LACUNE).. accipitur  
899 (LACUNE)  
900 (LACUNE)  
901 armatos equites centum sibi connumeravit,  
902 quorum vallatus continuo strepitu  
903 urbes vicinas ut sic gentesque Pelasgas  
904 ut rex et dominus subderet ipse sibi.  
905 Ergo Centauros "centum armatos " retulerunt,  
906 ut deducta rei littera concineret.  
907 Ixion in modico sic regni culmen adeptus  
908 regnavit parvo tempore magnus homo.  
909 Pulsus enim regno fastigia maxima regni  
910 perdidit et summus cogitur esse humilis.  
911 Damnatusque rotae vertigine dicitur inde,  
912 quod sic fortuitam pertulit ipse rotam.  
913 Ex imis gradibus ad summos usque levatus  
914 Ixion a summis rursus ad ima ruit.  
915 Nec minus omnis homo, cujus violentia regnum  
916 vendicat et super hoc arma cruenta parat,  
917 instat fortunae tollatur ut axe rotante,  
918 ut locus instabilis sit rota vertibilis.  
919 Tantalus edicit immitia Tartara nobis ;  
920 namque ibi nec requies nec veniae locus est.  
921 Gens infernorum nec parcit nec miseretur ;  
922 nullum tortores grande fatigat opus.  
923 Tantalus in mediis sitibundus deperit undis,  
924 cui semper vitreae contiguantur aquae.  
925 Sed mentum gelidas licet ejus sentiat undas,  
926 contiguos latices non sapit os avidum ;  
927 nec saties linguam nec stilla refrigeret ulla,  
928 si calet atque sitit fluctibus in mediis  
929 mitia poma super tangunt facie tenus ora ;  
930 quae si praesumat mandere, diffugiunt.  
931 Ergo licet misero praesto sit fructus et unda,  
932 quid prodest misero fructus et unda tamen ?  
933 Nam sua proximitas est irritatio magna  
934 ut magis indigeat, dum videt, unde dolet.  
935 Poena quidem geminatur ei, qui, dum cruciatur,  
936 afficitur voti proximitate sui,  
937 cum tenet in manibus, cum praesto sit omne quod optat,  
938 et rerum est impos quas tenet in manibus.  
939 Hunc sensum nobis locuples exponat avarus,  
940 qui quasi pauper eget in locuplete penu  
941 cum tangit mentum locupletis copia rerum,  
942 cum rebus parcens esurit atque sitit,  
943 cum servata domi sibi mutatoria vestis



944           arcam, non dominum protegit a nivibus,  
945           cum dominatur ei congesta pecunia servo.  
946           Esuriat, sitiatur : Tantalus est locuples.  
947           Omnibus indigeat, opulentia torqueat ipsum,  
948           divitias habeat, nesciat, ut videat.  
949           Multis ex causis Proserpina luna vocatur,  
950           longum quas omnes dinumerare foret.  
951           Attamen ut multas brevitatis amicus omittam,  
952           hac de re breviter aggrediamur iter.  
953           Quod praesit terris Proserpina Graecia dicit ;  
954           Luna praeest terris nocte soporifera.  
955           Terra maritatur, cum pleno Cynthia cornu  
956           infundit succos laeta leguminibus.  
957           Nam quo frigidior, hinc est fecundior arvis,  
958           quo terrae propior, hinc sibi fertilior.  
959           Denique terra favet tanto moderamine lunae,  
960           ut lapides quidam menstrua lunae habeant ;  
961           plenas et vacuas mensurat terra medullas  
962           arboris et fruticis et cerebrum pecudis.  
963           Ad lunae motum cogens hoc ordine pontum  
964           nec lunae est motus piscibus insolitus.  
965           Scriptores lunam vocitant aliquando Dianam,  
966           quod, nemorum custos diva triformis ut est,  
967           sic etiam nemori vitalia luna ministret  
968           ligna quae lunares secta globos habeant.  
969           Dicuntur plena trunci durascere luna ;  
970           at truncos teneros luna tenella facit.  
971           Idcirco silvas speciali lustrat amore,  
972           quod silvestre pecus gramina nocte legat,  
973           sole sub ardenti quia plus venatio dormit,  
974           cum venatoris plus timet insidias.  
975           Hanc quoque, pastorem quod amaverit Endymionem,  
976           ascribunt causam scilicet ob duplicem.  
977           Endymion primus lunarem repperit artem,  
978           quae lunae motus explicat atque docet.  
979           Exegit totam tali conamine vitam ;  
980           de luna semper sollicitus senuit.  
981           Triginta quare fertur dormisse per annos  
982           Endymion : tanto tempore nam studuit.  
983           Est aliud, quare lunam dicatur amasse :  
984           rores nocturnos algida luna creat.  
985           Humida nox, quam plus humectat frigida luna  
986           quae pecori prosint pabula laeta facit.  
987           Succos infundit fluidos ardentibus herbis,  
988           quo pastoralis cura sit uberior ;  
989           nam dum per cannas herbae diffunditur humor,  
990           et pecus et pastor laetior efficitur.  
991           Ergo sub hoc pacto lunae suffragia pastor  
992           concupit, ut merito diligat, Endymion.  
993           Nunc Pretum regem, nunc magnum Bellerophontem  
994           regis et uxorem nostra camena canat.  
995           Praedicto regi Preto fuit Antia conjunx,  
996           quam sic succendit Bellerophontis amor  
997           ut spreto Preto mulier lasciva marito  
998           ultro se juvenis intulerit thalamis  
999           at vir virtutis, vir castae strenuitatis

1000           spernit lascivam, rejicit indomitam.  
1001       Femina, cui nullus potis est superesse maritus,  
1002           artem dispensat qua juveni noceat.  
1003       Bellerophonta sui defert ad conjugis aures,  
1004           accusat falsis artibus innocuum.  
1005       Dicit quod voluit, quod noluit ille pudicus ;  
1006           falsis rex stultus credit imaginibus  
1007       et jam sollicitus de sanguine Bellerophontis  
1008           occultat causam rem simulans aliam :  
1009       belua terribilis, horrenda Chimaera triformis,  
1010           mandatur perimi magnanimo juveni.  
1011       Quaeritur ad monstrum sonipes interficiendum ;  
1012           e multis unus Pegasus eligitur.  
1013       Bellerophon insedit equo de sanguine nato  
1014           Gorgonis exstinctae belligerare parans.  
1015       Vincit belligeram, vincit perimitque Chimaeram  
1016           vincit Pegaseo vir probus auxilio.  
1017       Vidimus exterius ; causas introspeciamus :  
1018           pluris erit sensus qui latet interius.  
1019       Consultatorem sapientum Bellerophontem  
1020           philosophi signant ; id quoque verba sonant :  
1021       Bellerophon etenim "consultator sapiens " est  
1022           aut etiam "sapiens consiliarius" est.  
1023       Pretus rex spretus, quia "pretos" copia sordis,  
1024           cui "contrarietas ", Antia, femina sit ;  
1025       estque pudicitiae contraria femina sordis,  
1026           qua virtute micat, si sapienter agas.  
1027       Consultatoris cujusque viri sapientis  
1028           Objicitur vitae bestia terribilis.  
1029       Hoc Pretus rex pro contrarietate pudoris,  
1030           scilicet hic mundus vel caro nostra, facit.  
1031       Omnis Bellerophons, omnis qui vivit honeste,  
1032           qui sapienter agit, dimicat et superat.  
1033       Lerna, maligna palus, generatque fovetque Chimaeram :  
1034           sordidus aut mundus vel lutulenta caro.  
1035       Ne procul excedam, non vivimus absque Chimaera ;  
1036           nos sumus ipsa palus nosque Chimaera sumus.  
1037       O utinam exemplo nos Bellerophontis agamus,  
1038           Pretus spernatur, Antia dispereat.  
1039       Antia dispereat, carnis foedata libido ;  
1040           invenias tecum Bellerophontis equum.  
1041       Expugnes, perimas in matre palude Chimaeram.  
1042           Quae monstri novitas forma triformis erat :  
1043       prima leo, postrema draco, media ipsa Chimaeram ;  
1044           Tres in amore gradus ista figura docet :  
1045       ut leo nostra fuit fervens in amore juvenus  
1046           hocque furore perit et pudor et vitio.  
1047       Insuperabilis est tanquam leo terminus ille :  
1048           nil putat obscenum pessimus ille furor.  
1049       Ipsa palus carnis praebens alimenta furori  
1050           portentum madida semper alit cavea.  
1051       Principium saevi sic ilico fervet amoris ;  
1052           illud enim tempus nulla regit ratio.  
1053       In monstri medio capra consummata libido ;  
1054           nam capra designat putida luxuriam.  
1055       Non capra lassatur, non luxuria satiatur,

1056 foetet luxuriam quod pecus ob nimiam.  
1057 Inde vocant haedos sapientum scripta petulcos ;  
1058 nam nulla est hirco bestia fervidior.  
1059 Hinc etiam Satyris aptat pictura caprina  
1060 cornua, quod saturat nulla libido genus.  
1061 Est draco postremae deformis cauda Chimaerae ;  
1062 virus enim fundit culpa peracta necis.  
1063 Utque veneniferi friget compago draconis,  
1064 sic aetas friget debilitata senis.  
1065 At glaciale gerunt male conscia corda venenum,  
1066 quod perimit miseros excruciatque reos.  
1067 Porro, si diram cupias superare Chimaeram,  
1068 nam superare potes, vir probus arma para.  
1069 Summe pudicitiam, lumbis accingam pudorem ;  
1070 sit tibi Gorgoneus Pegasus ales equus.  
1071 Pegasus alatus, quia subtilissimus actu  
1072 evolat ad superos mobilitate sua.  
1073 Despicit altus humum, penetrat sine pondere caelum ;  
1074 incola fit caeli corde volans celeri.  
1075 Ipsius aeternum tibi suggeret ungula fontem,  
1076 post cujus potum non sitias iterum.  
1077 Haec immortales hauserunt flumina vates,  
1078 hoc vivunt magni flumine philosophi.  
1079 Non patitur vivos haec unda perire poetas ;  
1080 haec est quam semper non sitiens siciat.  
1081 Ista futura docet, praesentia monstrat alumnis,  
1082 praeteritum revocat mentis ad intuitum.  
1083 Iste refertur equus magna de Gorgone natus,  
1084 quae mihi terrorem dictio significat.  
1085 Idcirco fuit haec in pectore picta Minervae,  
1086 quod sapiens pectus terror ubique reis.  
1087 Pegasus, ut fertur, est sanguine Gorgonis ortus,  
1088 quod mortem nobis Gorgonis enucleat,  
1089 de te servili mox ut terrore perempto  
1090 et suffocata condicione rea  
1091 in te nascatur sapientia, splendor herilis,  
1092 quae te fortis equus portet ad astra tuus.  
1093 Aut etiam timor est homini sapientia prima ;  
1094 nam quicumque timet non erit insipiens  
1095 namque timere Deum sapientia prima vocatur.  
1096 Vitat naufragium, qui freta saeva timet ;  
1097 Non est stultitiae cautela timere magistrum  
1098 nec quemcumque fames territat esuriet.  
1099 Sit timor iste comes ; vitam statues sapientem  
1100 Lernaenumque sagax exitium perimes.  
1101 Perdix vixit homo lucos vagabundus oberrans,  
1102 gaudens venatu cursilitate vagus.  
1103 Scilicet in silvis multum studuit peragrandis  
1104 et sic multa sibi tempora disposuit.  
1105 Incidit hic tandem vehemens in matris amorem  
1106 atque novum canus corrui in facinus.  
1107 Hic, dum luxuriae tali deferu et amore  
1108 dumque verecunda concutitur macie,  
1109 aeger ad extremam tandem deducitur horam  
1110 et periit tali saucius interitu.  
1111 Hic fuit, ut dicunt, inventor, carmina, serrae,

1112           qua secuit lignum posteritas hominum.  
1113       Hic modo vivit avis coetu miserante deorum  
1114           confectus nimio tunc nemorum studio.  
1115       Currit adhuc velox et eadem cursilitate  
1116           qua currebat homo labitur atque volat.  
1117       Vere venator Perdix fuit hic aliquando  
1118           cura continua circumiens nemora.  
1119       Perdidit emissas aliquanto tempore voces  
1120           expedit multos vociferando dies :  
1121       instigando canes sterilesque sequendo labores  
1122           exegit vitae tempora multa suae.  
1123       Actaeoni vere placuit venatio multum  
1124           aetatemque diu trivit in his studiis.  
1125       Hunc quoque post annos ubi cura domestica tangit  
1126           jamque domus propriae sollicitatur ope,  
1127       a nemorum studio sejungitur et pedetentim  
1128           intendit rebus quas jubet usus edax.  
1129       Tunc demum nudam venandi comperit artem,  
1130           quae sectatores nudat egena suos.  
1131       Hoc est quod nudam vidit aliquando Dianam,  
1132           quae dea venandi est atque puerperii.  
1133       Qui de praeteritis erroribus expavefactus  
1134           et quasi commutans rem metuendo suam,  
1135       exhorrebat enim frustra tolerasse labores ;  
1136           cervinum fertur tunc habuisse jecur.  
1137       Nec tamen omnino potuit postponere curam  
1138           quin aleret multa dapsilitate canes.  
1139       Qua de re stolidum tetigit penuria multa,  
1140           dum nimium largus efficitur canibus ;  
1141       et quia multa peni canibus substantia cessit  
1142           dicitur Acteonem dilaniasse canes.  
1143       Excepto quod amat, amor improbus omnia vitat ;  
1144           excepto quod amat, nulla procurat amor.  
1145       Nulla procurat amor, nisi quae mandaverit ipse  
1146           excepto quod amat, nulla procurat amor.  
1147       Votis omnimodis adamaverat Hero Leandrum,  
1148           tantumdem vero plusve Leander eam.  
1149       Aequora tranabat compulsus amore Leander ;  
1150           nocte natat nudus tactus amore gravi  
1151       at ne nocturnae caliginis anxietate  
1152           offensus campis erret in aequoreis  
1153       accensis facibus venienti virgo Leandro  
1154           ostentat lumen notitiamque viae.  
1155       Optato juvenis sic littore saepe potitus,  
1156           optatis etiam colloquiis potitur ;  
1157       virginis optatae paulo recreatus amore  
1158           cras regressurus nando redit juvenis.  
1159       Altus amor poterat duros leviare labores ;  
1160           nam nihil est quod non vicerit altus amor.  
1161       Taliter exegit demens homo tempora multa,  
1162           depastus furiis insaturabilibus.  
1163       Accidit ut juvenis properus semel aequora tranans  
1164           errans tabuerit fluctibus in mediis ;  
1165       nam citius solito veniens properantior Hero  
1166           lumine succenso sustinuit juvenem,  
1167       lentius et solito tardavit adesse Leander

1168 et vada tranabat ut pigrior solito.  
1169 Exspectans quid non dubitaverit anxia virgo ?  
1170 Quid non sollicito pectore rettulerit ?  
1171 Infelix virgo quid non simulaverit Hero ?  
1172 Nam quid non semper cor muliebre timet ?  
1173 Nam quia tutus amor nusquam nec femina tuta,  
1174 jam nec amatori credit amica suo.  
1175 Aut magis ergo suum simulabat amore Leandrum  
1176 alterius captum postposuisse fidem -  
1177 quae res non modice cor amantis sollicitabat,  
1178 corda puellarum quod magis excruciat -  
1179 aut aliquando defecisse sub aequora sperat.  
1180 Virgineusque timor iste secundus erat.  
1181 At rursus graviter rejectam se dubitabat,  
1182 quod gravius tandem vulnus adegit eam.  
1183 Exstinctis facibus ad limina virgo recedit  
1184 nec superexspectat qui properans aderat.  
1185 Nox erat et tenebras sine stellis et sine luna  
1186 ventosum tempus et pluviale dabat.  
1187 Jamque, Leander, eras mediis in fluctibus errans.  
1188 Cum fortuna gravis te superincubuit.  
1189 Conspicis exstingui, juvenis miserande, lucernam  
1190 et pro re insolita sollicitus titubas.  
1191 Namque reaccensas si posses cernere flammam,  
1192 exstinctum lumen flatibus incuteres.  
1193 Nunc quia nulla manus, sors nulla facem referebat,  
1194 cogaris ut dubites, cogaris ut timeas.  
1195 Sed quid praecipue timeas, discernere nescis ;  
1196 nam plus quam de te de novitate times.  
1197 Ipse times quod eam substraverit humidus auster  
1198 vel quia praetumido gurgite tabuerit,  
1199 vel quia compererit rem facti callida mater  
1200 et castigatam traxerit in thalamos  
1201 aut aliquis solam vel amicus vel violentus  
1202 vicerit aut precibus flexerit ad vitium.  
1203 Multa timet, cui multa quidem suspecta supersunt ;  
1204 nec locus in fluviis est sibi consilii.  
1205 In dubio tamen est mediisne erraverit undis  
1206 atque errore viae subrutus occiderit,  
1207 an magis ex nimia defecerit anxietate  
1208 cordis, cum plus quam debuit extimuit.  
1209 Sed quicquid fuerit, mediis defecit in undis  
1210 et tamen ad litus corpus adegit amor.  
1211 Ad solitum litus venit miserabile corpus,  
1212 Hero quod lacrimas atque necem peperit.  
1213 Sic etenim venit defunctus tramite recto,  
1214 ut vivus numquam rectius adfuerit.  
1215 Postquam clamantum voces intelligit Hero,  
1216 irruit et laceris artibus injicitur ;  
1217 infundit lacrimis juvenem siccatque capillis ;  
1218 et neutrum sentit, proficit et neutrum.  
1219 Postquam nulla dabat responsa nec ossa calorem  
1220 acceperere suum totaque spes aberat,  
1221 quo potuit nisu miserum complectitur Hero  
1222 astringens ulnis cognita membra suis.  
1223 "Care Leander", ait, "tibi nunc occasio mortis

1224 infelix ego sum scilicet Hero tua.  
1225 Hoc saltim liceat, tua numquam separer a te,  
1226 quodque fuit tibi mors, mors mihi sit pelagus.  
1227 Gaudeo, si tecum sub eadem subruar unda ;  
1228 ipsa tibi mortis, tu quoque causa mihi.  
1229 Res est in patulo : quia me spes falsa fefellit,  
1230 quae de te timui, falsior ipsa fui.  
1231 Dulcis amice, vale ; vale, inquam, dulcis amice,  
1232 immolat extremum mox peritura vale.  
1233 Obsecro vos, venti, flatus conjungite nostros ;  
1234 corpora juncta simul tu, mare, suscipias" ;  
1235 dixit et adstrictum post oscula mille cadaver  
1236 seque simul virgo proripit in pelagus.  
1237 Hic consummavit, si creditur, exitus ambos  
1238 castigans hos qui non sapienter amant.  
1239 Res impossibilis, sapiens quam Graecia finxit,  
1240 te movet ad sensum, qui legis haec, alium.  
1241 Est "resolutus homo" per consona dicta Leander  
1242 vel quae dissolvit res fluidos homines ;  
1243 et resolutus homo subito consentit amori  
1244 et natat in mundo jam velut in pelago.  
1245 Nam furibundus amor postquam distemperat artus,  
1246 in mare fluctivagum nocte trahit miserum.

CETERA DESUNT

155

v.1 Audebertus erat vir sanctus, praesul et abbas.  
2 Pontificem Biturix, abbatem Dolis habebat ;  
3 dictis et factis ambobus sufficiebat.  
4 En sanctum modico corpus concluditur antro.  
5 Munere nunc duplici, duplici decoratus honore,  
6 Audeberte, vale ; sit pax tibi luxque perennis.

156

DE EODEM

v.1 Illa dies felix felici sole refulsit,  
2 qua conexi sunt et Dolis et Biturix.  
3 Hae geminae sedes tandem pastore sub uno  
4 unum sunt factae post mala discidia.  
5 Urbs Audebertum Biturix in pontificatum,  
6 tunc Dolis abbatem mutuo vix rapuit.  
7 Pontificem factum per amice jurgia litis  
8 ipsum detinuit grex suus in quod erat.  
9 Hic Audebertus gemino perfunctus honore  
10 morti succubuit praeditus hoc onere.  
11 Hic pausat sancti sanctissima gleba patroni.  
12 Tu, pater, a superis saepe revise tuos.

157

DE EODEM

v.1 Audeberte pater, pater et sanctissime praesul,  
2 te Dolis ecce dolet, te dolet urbs Biturix.  
3 His pater, his praesul loca sic praefata regebas,  
4 ut neuter vacuus esset amore tuo.  
5 Ecce jacet corpus, si sit cinis ossaque corpus,  
6 in domino requiem spiritus inveniatur.

158

v.1 Ipsum, cujus in hac corpus tellure quiescit,  
2 ditarat dives littera pontificem.  
3 Abbas ipse Dolis, Biturix simul ipse sacerdos  
4 unus utrique loco proderat et praeerat.  
5 Huic Audeberto licet in juvenilibus annis  
6 curam communem mors inopina tulit.  
7 Hic igitur positum corpus fovet hoc monumentum ;  
8 Omnipotens animam pontificis foveat.

159

DE EODEM

v.1 Audeberte, tuo Biturix pro funere marcet,  
2 in te quam vehemens amor excitat et dolor arcet.  
3 Non tamen impetitur gemitu Dolis inferiore,  
4 cujus grex in te nimio fervebat amore.  
5 Carus eras abbas his, archiepiscopus illis ;  
6 nam poteras plenis ambos refovere mamillis.  
7 Vadis, te Christo per idonea signa vocante  
8 et velut emerito tibi praemia digna parante.  
9 Omni momento nostri, patrone, memento  
10 et succurre gregi vitali morte redempto.

160

ITEM DE EODEM

v.1 Auditor vatuum, vatuum moderator et ipse  
2 praesul Bituricis, Dolis autem praesul et abbas,  
3 qui juvenum proprios transcendens moribus annos  
4 se juvenem vovit monachorum religioni.  
5 Hic Audebertus solemni more sepultus  
6 dormit, qui vitam condigno fine sacravit.  
7 Nunc quoque cum Christo nos saepe revisat ab alto.

161

SUPER RAINALDUM CLERICUM

v.1 Quem fovet hic tumulus, Rainaldus nomine, nulli  
2 novit adulari clericus egregius.  
3 Nemo fidelis plus umquam fuit inter amicos ;  
4 utque tenor fidei nunc titulus sit ei.

5 Hic Andis tandem lacrimas in morte relinquens  
6 dormiit in Christo ; Christus et adsit ei.

162 DE EODEM

v.1 Saecla reformato gaudebant nostra Catone  
2 donec Rainaldum promeruere sibi.  
3 Acer enim verbis et justis actibus acer,  
4 omnibus exemplum sobrietatis erat.  
5 Ad decus hunc morum ditarat littera multa,  
6 copia quam torrens extulit ingenii.  
7 Ecce cinis, Rainalde, jaces ; cui si quid adhaesit  
8 criminis, id purget gratia summa Dei.

163 DE EODEM

v.1 Scripta solent veterum mores efferre Catonum  
2 mirandos nostris temporibusque suis ;  
3 at tua magna fides centum, Rainalde, Catones  
4 longe praecessit iustitiaeque tenor.  
5 In factis alacer, in verbis promptus et acer,  
6 tu decus in clero, tu decus in populo.  
7 Ecce jaces modico, Rainalde, solutus in antro ;  
8 Omnipotens veniam det tibi, cujus eges.

164 SUPER WIDONEM

v.1 Guido, Hierusalem modicum post tempus iturus,  
2 mente gerens sanctae munia militiae,  
3 morte bona, vir plenus opum, cadis ancitipatus  
4 natalisque soli redderis hic gremio.  
5 Illa dies, mensem quae sextum sexta praeibat,  
6 morte tua populum terruit Andegavum.  
7 Nunc igitur, Wido, caelestis sis duce Christo  
8 civis Hierusalem pace locatus. Amen.

165 SUPER RADULFUM

v.1 Vir dives multum neque servus divitiarum,  
2 pauperibus largus, compatiens miseris,  
3 Radulfus jacet hic factus de divite pulvis,  
4 Andegavis olim copia consilii.  
5 Morte tua, Radulfe, tuam dolor occupat urbem ;  
6 utque Deo vivas, suppliciter rogitat.



v.1 Terra futurus homo, quid inaniter ecce superbis ?  
 2 Quid sis, Radulfus te docet hic positus.  
 3 Civibus Andegavis majoribus iste coaequus  
 4 eloquio, sensu, cum locuplete penu,  
 5 quod tamen et multis largus divisit egenis,  
 6 tunc homo, nunc fit humus, cui miserere, Deus.

v.1 Andegavus populus casu concussus acerbo  
 2 magnum concivem flebilis hic posuit.  
 3 Hic ergo, Radulfe, jaces, ditissimus olim,  
 4 Andegave plebis portio non modica.  
 5 Tu tamen in Christo tua largiter exposuisti,  
 6 quod Deus et melius nunc tibi retribuatur.  
 7 Sol matutinus Maique dies duodenus,  
 8 heu, nimium properas intulit exsequias.

v.1 Qui fabricis inhians Romana palatia laudas,  
 2 hoc potius lauda grande Johannis opus.  
 3 Hic sculptura decet, saxorum convenit ordo.  
 4 Tantum laudatur Pictavis hoc opere,  
 5 quantum marmoreis laudatur Roma columnis.  
 6 Hoc siquidem rerum copia fecit opus.

v.1 Nosse potest, istas quisquis considerat aedes,  
 2 quam prudens, quam plenus opum fuit ille Johannes,  
 3 qui disponendo latomis sumptusque pluendo  
 4 hanc statuit fabricam fabricis regalibus aequam.

v.1 In sibi dilecto requievit philosophia  
 2 Rainaldo, quem vas fecerat esse suum.  
 3 Hic igitur sancti Cypriani floruit abbas  
 4 ecclesiam ditans ordine, rebus, agris.  
 5 Paene loci quaecumque fuit possessio primum,  
 6 hanc duplicem peperit sollicitudo patris.  
 7 Tandem Rainaldi pars promptior astra petivit ;  
 8 hic quae terra fuit portio terra fuit.

171 SUPER BENEDICTAM RECLUSAM

v.1 Hic latuit multos Benedicta reclusa per annos  
2 contemplativa, laeta, quieta diu.  
3 Sponsa Dei sponsique sui complexibus haerens,  
4 inter complexus pace quievit ovans.  
5 Hic modicus carcer jucunda domus fuit illi.  
6 Hic modo glaeba jacet ; spiritus astra tenet.

172 SUPER CLARENBALDUM

v.1 Prudens in causis, miles robustus in armis,  
2 ingenuo natus sanguine, plenus opum,  
3 nunc ex parte cinis hic, Clarenbalde, quiescis,  
4 tu dolor et gemitus civibus Andegavis.  
5 Spiritus astra colat, dum terram terra fovebit ;  
6 tandem possideas jam nova terra polum.

173 SUPER URBANUM PAPAM

v.1 Urbanum papam, quem Francia dixit Odonem,  
2 quae regio tenerum protulerat puerum,  
3 vitales aerae morientem deseruere,  
4 in quo sic orbis lingua diserta ruit,  
5 ut simili careat doctore superstite mundus.  
6 Hic igitur posuit flens sua Roma suum.

174 SUPER REGEM ANGLORUM

v.1 Indice qui caelo, qui praesagante comete  
2 Anglos innumeris stragibus obtinuit,  
3 qui dux Normannis, qui Caesar praefuit Anglis,  
4 qui quasi mananti fonte profudit opes,  
5 imperio pollens Willelmus, conjuge, natis,  
6 occidit et simul haec omnia deseruit.

175 SUPER SUPRADICTI FILIUM

v.1 Nobilitas, regnum, prudentia, copia rerum  
2 tollere Willelmo non potuere mori.  
3 Belligerando pater Normannos vicit et Anglos ;  
4 ambos pacifice filius obtinuit.  
5 Heu, fortuna gravis ! Dum cervos insequeretur,  
6 interceptit eum jacta sagitta feris.

v.1 Qui regum magnus fuit admirabilis orbi,  
 2 qui probitate sua rexque comesque fuit,  
 3 consul Normannis, rex Anglis, filius ejus  
 4 Anglos Normanno milite qui domuit,  
 5 dum cervos agitat socii stridente sagitta  
 6 Willelmus cecidit. Rex fuit, ecce cinis.

v.1 Qui legis hunc titulum, subtus cognosce sepultum  
 2 Anglorum regem, nunc modicum cinerem.  
 3 Hic, Willelme, jaces, Willelmi filius, Anglos  
 4 qui ferus ense fero belliger edomuit.  
 5 Dum sequeris cervos, alter quoque destinatus ictum ;  
 6 cervo directam passus es ipse necem.

v.1 Sub cujus nutu tremuit Normannus et Anglus,  
 2 qui locuplete manu saepe pluebat opes,  
 3 a patre Willelmo neque re neque nomine distans,  
 4 qui consul, qui rex inclitus exstiterat,  
 5 morte nova cervis intensum pertulit arcum ;  
 6 hac quoque magnus homo subcineratur humo.

v.1 En Cicero vivit volitatque per ora legentum,  
 2 quem diis ingenium junxit et eloquium.  
 3 Hunc, ubi praevaluit consul vigil in Catilinam  
 4 hoste trucidato, sospite cive suo,  
 5 perculit Antonius, Lamiae bonitas sepelivit.  
 6 Laus Lamiae locus hic, at pudor Antonio.

v.1 Pectus divinum, stilus impiger, os moderatum,  
 2 vir patriae totis nisibus invigilans,  
 3 cujus subjacuit magnus Catilina securi,  
 4 qui Romam et patres hostibus eripuit,  
 5 pro pudor, oppetiit Antonii Tullius ictu.  
 6 Hunc Lamiae studium fecit ei tumulum.

181

DE EODEM

v.1 Quem Catilina ferum, quem sensit Roma parentem,  
2 eloquium cuius orbis adorat adhuc,  
3 Antonius saevo laceravit nequiter ense  
4 et sanctos artus stravit iniqua manus.  
5 Antoni, te nunc aeterno vulnere turpat  
6 Marcus, quem Lamiae condidit hic pietas.

182

DE EODEM

v.1 Ingenium cuius semper mirabitur orbis,  
2 quem merito dixit Roma patrem patriae,  
3 quem civem civis, hostem quem comperit hostis,  
4 Antonii tandem pertulit insidias.  
5 Hic autem pausat Lamia miserante sepultus  
6 et superinvehitur Tullius Antonio.

183

v.1 Qui tenet ac tenuit, docet aeternumque docebit  
2 artem dicendi, verbifluus Cicero,  
3 qui sibi commissam servavit ab ignibus urbem  
4 Romanosque patres eripuit gladio,  
5 Antonius diro crudeliter ense cecidit.  
6 Hunc autem tumulum fecit ei Lamia.

184

ITEM DE EODEM

v.1 Quisquis divini libros Ciceronis adoras,  
2 hunc oratorum cerne super solium,  
3 juris sectator, ferox hostibus, urbis amator  
4 saevis Antonii vulneribus cecidit.  
5 Larga manus Lamiae corpus lacerum tumulavit.  
6 Nunc quoque persequitur Tullius Antonium.

185

DE MENSA

v.1 Mensam caelestem si vis securus adire,  
2 semper ad hanc debes cum sobrietate venire.  
3 Ante cibum sumptoque cibo sic sobrius esto,  
4 ut non ingluvies justos distermine actus.

186

v.1 Est urbis nomen, quod nomen signat amorem,  
2 tramite retrogrado si forte leges elementa.

187

v.1 Qui "tenet" inquireret quid signet retrogradatum,

2 et leget et dicet retrogradando "tenet".

188

v.1 Pars est quae constat trissyllaba sex elementis,  
2 quae rem significat integra qua videas.  
3 Porro de medio duo si tollas elementa,  
4 ventri condignum, quod comedas, olus est.

189

v.1 Una novem constat trisyllaba pars elementis ;  
2 cujus si quando dematur syllaba prima,  
3 quod remanet, miles quondam pugnavit in armis.  
4 Si medium tollas, facient remanentia plagam ;  
5 demas postremam, volucrem duo cetera signant ;  
6 totum jungatur, fluvium signare videtur.  
7 Nec voces id agunt, sed vocum significata.  
8 Haec tot "Vulturinus" per partes posse videtur.

190

v.1 Si cupis ipse rotas, qui terras scindis, habere,  
2 retrogradando, sator, quod cupis invenies

191

ROBERTO

v.1 Carmen inurbanum, nulla fornace recoctum,  
2 misi ; mitto iterum quod tibi rus sapiat.  
3 Rus colimus, mulgemus oves, armenta minamus ;  
4 urbis rus nobis abstulit officium.  
5 Nos fora nescimus, nescimus castra subire ;  
6 ruris delicias nos numeramus oves.  
7 Quisquis in urbe manet novit quicquid fit in orbe,  
8 urbs prior agnovit quicquid in orbe novum.  
9 Nos avium varia laetamur garrulitate,  
10 nos voces ovium novimus atque boum ;  
11 nos tamen interdum tibicinis ore jocamur,  
12 interdum ceras deterimus radio ;  
13 nos pastorali gaudemus saepe cicuta,  
14 quae tamen et nostros mulceat agricolas.  
15 Musa tamen jejuna mea est, jejunos ego sum ;  
16 nullus me pavit Tullius aut Socrates.  
17 Ut tibi rescribam tu sedulus exigis a me  
18 carminibusque tuis carmina nostra rogas.  
19 Improbus exactor subtili calliditate,  
20 temptas Entellum tu velut ipse Dares ;  
21 ictus et caestus ita vis cognoscere nostros  
22 meque quibus tuear noscere vis manibus,  
23 qualis ego vel quantus ego quantumve disertus  
24 vel quibus incedam vaticinans pedibus.  
25 Inter grammaticos vix ultimus ipse resedi,  
26 armis grammaticae munior ad modicum.  
27 Nescio socraticos, auctorum nescio libros.

28 Nam de philosophis mentio nulla mihi.  
 29 Numquam doctorum subsellia me celebrarunt,  
 30 pulpita nec vatum scandere dignus eram.  
 31 Quae cum reptilibus repebat nostra camena  
 32 haesit humi nec adhuc pigra volare potest.  
 33 Fatum vel fato melior fortuna deusve  
 34 quod me plus docuit praestitit ingenium ;  
 35 praestitit ingenium quo nossem volvere libros,  
 36 abdita quo pateant praestitit ingenium.  
 37 Attamen ille meus pauset cum pace magister  
 38 toto qui studio me puerum docuit,  
 39 qui mox a primis mihi signavit rudimentis  
 40 qualiter ex paucis plurima conjicerem,  
 41 qualiter in brevius restringere plurima possem,  
 42 qualiter ex alio fingere possem aliud.  
 43 Ille mei primus maculam deterisit ocelli.  
 44 Adfuit et studium quod juvat ingenium ;  
 45 ingenium dormit quod nullus adjuvat usus,  
 46 lima prudentis indiget ingenium.  
 47 Edocuit quaedam me sic elementa magister,  
 48 plurima collegi qui modicum audieram.  
 49 Attamen est modicum quod ego tibi "plurima" dico,  
 50 nam modicum credas quicquid ego sapio.  
 51 Palpando gradior lippusque sequor praeceuntes  
 52 et velut in glacie saepe labo properans.  
 53 En quod dest de me, quod sentio quodque fatendum  
 54 in medium duxi ; nil tegeo, crede mihi.  
 55 Si talem socium, si talem quaeris amicum,  
 56 respondebo tibi : scriptito simpliciter.  
 57 Grandis Rotbertus mihi sis, Rotbertulus illis  
 58 qui sibi depingunt grande supercilium.

v.1 Cui probitas patris peperit bellando ducatum,  
 2 quem pax, quem probitas patri sua multa coaequat,  
 3 salve, Rogeri, longum, dux inclite, salve,  
 4 ut speciale tibi salve fac Burguliani,  
 5 quod tibi non auri spes immolat ulla dativi,  
 6 sed me fama tuae submovit ad hoc probitatis,  
 7 austri reginam veluti nomen Salomonis.  
 8 Et mea musa probos velut improba dicere novit  
 9 et semper placuit reprobo mihi fama proborum.  
 10 Nec mirum si fama meas tua perculit aures,  
 11 quem mea rusticitas ignotum reddidit orbi ;  
 12 quae siquidem montes, valles everberat aura  
 13 et vix abscondit se quicquam solis ab igne.  
 14 Me licet extremis dederit fortuna Britannis  
 15 contiguum, quos dumtaxat Meduana diremit,  
 16 ad quos vix vester perflans accederet Auster,  
 17 attamen anticipant nostros tua facta colonos.  
 18 Namque tuum nomen totum vulgatur in orbem  
 19 vel quia militiae stipendia fundis opima,  
 20 vel quia tractas rem consultus homo popularem,

21 quae stat firma tuis non concutienda diebus,  
22 sive quod ecclesias inmenso munere ditas  
23 sive quod invitas hac tempestate Camenas  
24 dapsilitate tua, ne possit Apollo tacere.  
25 Immo, quod est mirum, turgent in crinibus hydri  
26 ut cupiant omnes tibi desudare poetae  
27 atque velint toto vinum nescire Decembri,  
28 et tibi pallentes laetentur imagine macra,  
29 quos impinguavit studiorum cura recisa  
30 et somnus longus mentis collisit acumen.  
31 O utinam tibi me, dux optime, contiguasset,  
32 ut tibi me notum fortuna benigna locasset,  
33 fama diu populis ut postera te celebraret,  
34 nostra tibi toto conamine musa vacaret.  
35 Porro, si me res patris praesumere velles,  
36 quamvis facundum res ipsa praeoptet Homerum,  
37 ultra posse meum penitus conarer in altum ;  
38 grandis materies infecundum gravidaret,  
39 raucum vocalem, mutum daret ipsa loquacem.  
40 Spes fecit multos mercedis plena disertos  
41 et decor historiae juvat instrumenta poetae.  
42 His igitur, bone dux, donec jubeantur, omissis,  
43 quos misi vobis ludos a finibus orbis,  
44 ludendi dum tempus erit, componite ludis,  
45 tales multimodis ludos intersere curis.  
46 Ex hoc publica res te sentiet uberiolem.  
47 Si mihi res esset quae plus tibi grata fuisset,  
48 plus gratam tibi rem vates tuus ipse dedissem.  
49 Mitto quod possum ; quas mitto repende salutes  
50 non aurum dando, sed me dumtaxat amando.  
51 Horum latorem quae competat excipe cura  
52 instinctu cujus raucus ego cecini.

v.1 Galoni rescribo meo legando salutes  
2 ex me multiples quas sibi promeruit.  
3 Galo mi, salve ; salve, specialis amice,  
4 quem mihi multus amor jungit et unit idem.  
5 Crede mihi, credasque precor credasque fatenti :  
6 llus opibus Croesi carmina missa placent.  
7 Carmina missa placent quoniam sunt carmina digna,  
8 quorum, si sapio, syllaba quaeque sapit.  
9 Si me divitiis ditassent fata benigna,  
10 dotarem magnis carmina muneribus ;  
11 si me Caesaribus genuisset Roma coaequum,  
12 digna coaptarem munera carminibus.  
13 Non hederas tantum neque tantum laurea sarta,  
14 sed mea sive darem sceptrum secunda tibi.  
15 Nunc tibi nil ex me nisi tantum pignus amoris,  
16 plus quam significo te vehementer amo.  
17 Ib vehementer amo cum sis vehementer amandus,  
18 ut vehementer amem te tua musa facit.  
19 Nil reprehendendum tua cartula detulit ad nos ;

20           quin immo, grandi singula laude nitent.  
21       Ad laudes dandas succumbit nostra facultas,  
22           sed non succumbit, credito, velle meum.  
23       Non a condigno caruisses munere, Galo,  
24           si quae digna forent munera sufficerent.  
25       Nunc tibi sum sterilis, nunc sum tamquam vir inanis,  
26           non prodesse queo, sed queo diligere.  
27       Non omnino tamen nostrum verearis amorem ;  
28           Qui modo sum sterilis, quandoque parturiam  
29       si modo non prosum, post cras prodesse valebo ;  
30           res mutabuntur forsitan in melius.  
31       Si tamen et mandes quod habet mea tota facultas,  
32           totum mandantis mox erit in manibus.  
33       Denique, quicquid sit quod nostra potentia possit,  
34           immo totus ego militet omne tibi.  
35       Ecce quod ad praesens pro munere reddere possum,  
36           reddo tibi grates scilicet innumeras.  
37       In sublimandum te, Galo, totus anhele :  
38           o utinam nostras ipse vices subeas !  
39       Te duce, majoris modicum post tempus honoris ;  
40           ipse vices subeas, ipse gradum teneas.  
41       Quod si nos nequeant pariter sustollere fata,  
42           saltem te foveant, si mihi non faveant.  
43       Pro te sufferrem laetus quemcumque laborem ;  
44           sint plus quam nobis fata benigna tibi.  
45       Nil mihi tam gratum, nil tam mihi deliciosum  
46           quam me posse tibi velle quod accipias.  
47       Velle quod accipias et quod tibi gratificetur  
48           est equidem vitae portio magna meae :  
49       vivo mihi si vivo tibi ; mea summa voluptas  
50           est ut agam quicquid me tibi gratificet  
51       si mea me poterunt tibi carmina gratificare,  
52           adjiciam gratum carminibus studium.  
53       Nec conferre tuis attento carmina nostra,  
54           nec praesumendo me tibi spero parem.  
55       Quam longe superat sol lunam lunaque stellas,  
56           tam longe superat vestra camena meam.  
57       Jejunus meus est calamus, tuus erogat escas.  
58           Galo sonat sensum, sed mea musa jocum.  
59       Maevius et Bavius praepollent carmine nobis  
60           at tua Virgillum lucida musa sonat.  
61       Vix scripturarum sensus meus attigit ima,  
62           at tu grandiloquum vincis Aristotelem :  
63       ditatur dives tua musa sophismate multo.  
64           Tu tranas pelagus, littus ego teneo.  
65       Virtuti discredito meae, tibi viribus impar ;  
66           bos lassus, lasso jugera sulco pede.  
67       Confiteor, neque diffiteor, mea carmina nuda,  
68           cum tunicas miror carminis ipse tui.  
69       O quantis et quot tua scripta coloribus ornas :  
70           non thesaurus inops tot dare posset opes.  
71       Ne tamen acedia me damnet desidiosum,  
72           ultra me studio sedulus assideo.  
73       Quidlibet incipio, velut insequar ore deserto,  
74           dissidet a proprio clausula principio.  
75       Ingentem fumum dat momentanea flamma,



76           succumbunt humeri mole sub insolita.  
77       Ergo, quicquid ago vix est dictantis imago ;  
78           ipse verecundor cum mea scripta lego.  
79       Sed tu, quem cumulant thesauri philosophiae,  
80           vatum dux et lux, ore sonas alio.  
81       Ex fumo lumen das, non ex lumine fumum ;  
82           si vis, ipse doces et genus et speciem.  
83       Tu mea scripta rogas, ceu sint mea scripta legenda ;  
84           tamquam sint aliquid, tu mea scripta rogas.  
85       Quaedam transmisi, quae si relegens tetigisti,  
86           non nescis quantae simplicitatis erant.  
87       Haec laudando tamen, speculatus ad astra tulisti  
88           sed tua me multum juvit amicitia.  
89       Vere multus amor plus quam res favit amico ;  
90           sed nec adulantis te noto, Galo, nota :  
91       laus est, si valeat simplex favor inter amicos ;  
92           deperit et nihil est, si favor absit, amor.  
93       Favisti vero mihi sicut amicus amico,  
94           non etiam dubito quin iterum faveas.  
95       Celares etiam si quae celandam fuissent  
96           erratusque meos compositurus eras.  
97       Dum jocos et nugor, dum taliter otia vito,  
98           excessit calamus et jocus iste modum.  
99       Ad pueros scribo, nec praetermitto puellas,  
100           tamquam torruerit me juvenilis amor.  
101       Nec juvenilis amor nec me malus abstulit error,  
102           sed mihi jocundo musa jocosa placet.  
103       Musa jocosa placet, quoniam mihi vita jocosa ;  
104           vita jocosa tamen facta jocosa fugit,  
105       quae tamen et scripsi tamquam vir totus amoris :  
106           volo liber passim compita circumeat.  
107       Musa jocosa mihi, sed vita pudica jocosum  
108           et tamen innocuum fascinat invidia.  
109       Quod si nugosum vis hunc tibi, Galo, libellum,  
110           me famamque meam credo tuis manibus.  
111       Estque supervacuum de libro quid sit agendum  
112           si quasi te doceo : plus amor id doceat.  
113       Hoc sciat, hoc doceat, hoc non ignoret amicus :  
114           invidus interpres evomit obloquium.  
115       Et tu, quem felix mihi junxit et aurea musa,  
116           pro tibi sollicito, saepius invigila ;  
117       pro mihi sollicito te, saepius invigilabo  
118           utque diu valeas, efficiam precibus.  
119       Meque Deo, quaeso, commenda, Galo, precando,  
120           ut sciat amborum mutua vota Deus.

v.1       Odas (o utinam cui mittuntur placituras !)  
2       Odoni magno dirigo parvus ego.  
3       Odo, pontificum decus et specialis honestas,  
4       consilium papae, regula justitiae,  
5       Ecclesiae robur, non concutienda columna,  
6       mittit quod placeat Burgulianus ave,

7 Burgulianus ave magno dicit patriarchae,  
8 quod mihi notitiam praesulis obtineat.  
9 Odo, Wido mea mihi te celebravit in aure,  
10 pluribus indiciis te mihi significans.  
11 Guido tuum nomen nostrum devexit in orbem  
12 utque viri tanti prece vir ille mihi,  
13 te mihi procerum statura significavit,  
14 quae non excedat effigiata modum.  
15 Mores jucundos Wido tibi dixit inesse  
16 et quod conveniat moribus alloquium ;  
17 Atque mihi dixit : te ditat littera dives  
18 et vatum musas deliciosus amas ;  
19 si cantare velis, cantas modulamine dulci ;  
20 his superest vultus et facies hilaris ;  
21 affatu suavis, communis et omnibus omnis,  
22 exhilaras maestos et stolidos reprimis ;  
23 os oratorum modo vivis Tullius alter,  
24 callidus in verbis vivis Aristoteles.  
25 Tempora quae modo sunt, quae sunt sine remige navis,  
26 rectorem statui te voluere sibi.  
27 Qui te fecerunt, Odo, velut ostia Romae.  
28 In modico Romae te facient dominum.  
29 Sic jam coeperunt ordiri provida fata,  
30 hic intelligimus jamque favemus eis.  
31 Odoni factus heres in pontificatum,  
32 mox in papatum substituendus eris.  
33 Hoc locus, hoc nomen, hoc signat copia linguae,  
34 hoc alti sensus praecinit integritas ;  
35 innuit hoc habitus tunicatae religionis :  
36 vos ambos idem Cluniacus genuit ;  
37 ambos vos fovit, vos Ostia sustulit ambos,  
38 alter papa fuit nec minus alter erit.  
39 O si tunc merear florere superstite vita.  
40 Ut tunc te toto pallidus ore canam !  
41 Tunc Orpheus nostram nequeat superare camenam,  
42 si pleno flatu buccina nostra sonet.  
43 Velis furtivis vehitur modo nostra carina,  
44 namque piratarum perstrepat omne genus ;  
45 insontem lacerant me dentibus obloquiorum  
46 meque reum mortis clamitat invidia.  
47 Objiciunt quod ego tabulas post tempora tango,  
48 quod non demisso vado supercilio.  
49 Ipse susurro tamen, mecum quoque rumino psalmos  
50 atque obliquatis vultibus intueor.  
51 Ut furor invidiae probitati est saeva noverca,  
52 quocirca tepeo saepius a studio.  
53 Quod si me vellet defensio vestra tueri,  
54 ut mea dumtaxat carmina diligeres,  
55 repentes hederæ mox serpent uberiores.  
56 Si quando audaci fretus ero gladio,  
57 audaci si quando lyras moderamine tangam,  
58 si musas pleno pectine discutiam,  
59 si quando inpavidus vates audebo vocari,  
60 si calamos teneam non trepidante manu,  
61 si verbo nostris signisve quibuslibet odis  
62 illudas, Odo, fulmina non timeo.

63 Fulmina quae timeat, quem maxima Roma tuetur ?  
64 Quid timeat tua quem proteget, Odo, manus ?  
65 Me sub amore tuo digneris, maxime pastor,  
66 tutior ut Romam, si sit opus, videam,  
67 tutior ut duce te Romana palatia cernam,  
68 quem mea rusticitas terreat absque duce.  
69 Jam nunc de vestro tamquam securus amore  
70 vobis commendo quod penitus cupio.  
71 Me praesumentem de te confundere noli,  
72 debita posco quidem, da mihi, namque potes.  
73 Si quotcumque modis aures obstruxerit aspis,  
74 ut nolis nostras insinuare preces,  
75 si quaesita neges possisque negata referre,  
76 si tua claudantur corda meis precibus,  
77 ut dare tu nolis sine damno quod dare possis,  
78 non es quem spero, quem tuus ipse cano ;  
79 o quam sperabam vivis procul et procul alter -  
80 quod Deus avertat ut mihi tu facias.  
81 Unicus est, Odo, mihi filius, immo coabbas,  
82 pro quo devotus adsto tuis pedibus.  
83 Namque manum super hunc nimis aggravat ille Remensis  
84 iram qui papae funditus emeruit :  
85 imposuit siquidem regi diadema Philippo ;  
86 nunc et in hoc papae negligit imperium.  
87 Propterea fundo mea viscera funditus, Odo,  
88 ut mihi perficias hanc tibi rem facilem :  
89 abbatis partem sustentens ordine recto,  
90 ut restauretur filius ille meus.  
91 Quod confirmavit in eo Romana potestas  
92 inconvulsum sit permaneatque ratum.  
93 Et potes et debes, nisi me contempseris, Odo,  
94 abbatem Sancto reddere remigio.  
95 Non ingratus ero, superaddam gratificandus  
96 munera carminibus, carmina muneribus.  
97 Ecce fatigatus nimium remeare nequivit,  
98 sed, si mandabis ut veniat, veniet.  
99 Jam securus erit, redeat si scripseris illi,  
100 noverimus quoniam restituendus erit.  
101 Si mandare velis quod penses utile nobis,  
102 Guidonem nostro noveris esse loco.  
103 Guido mihi vivit magnus, bonus atque fidelis,  
104 magni momenti, nominis haut modici.  
105 Hunc venerare modo quo nos veneramur eodem,  
106 namque bona morum simplicitate viget.  
107 Odam dilatat occasio multa precandi,  
108 sed modo, fine brevi, sis memor, Odo, mei.

v.1 Vitali nostro dic nostrum, carmen, aveto,  
2 dic, quod eum deceat, dic sibi, quod placeat.  
3 Me sibi gratifica, cupio sibi gratificari,  
4 quem mihi complexum viscera nostra fovant.  
5 Visceribus nostris prae cunctis solus inhaesit,

6           solus prae cunctis me penitus tetigit.  
7       Si vero queris, quid in hoc speciale notetur :  
8           mores, nobilitas, forma, decus, probitas,  
9       simplicitas astuta simulque astutia simplex ;  
10          altera res decus est et decor alterius.  
11       Callidus ut serpens, simplex ut rauca columba  
12          aetatem superat propter utrumque suam.  
13       Praeterea puerum facundia tanta replevit,  
14          vix ut Vitalem Tullius aequiparet.  
15       Si fidibus servire velit vocive canore  
16          aut utrique simul, Orpheus alter erit.  
17       Ergo Vitalis a me nusquam dirimetur,  
18          sane animam donec saeva dies adimat.  
19       Tunc quoque, si potero mihi commendare vel illi,  
20          amborum flatus spiritus unus erunt.  
21       Interea nitido nos complectamur amore,  
22          amborum nitidae quo mage sint animae.  
23       Sed neque quis sancti nomen depravet amoris

v.1       Cum studium nostrum, cujus vigilantia somnum  
2           aut vix aut numquam pertulit acediae,  
3       multis personis multis alluserit odis,  
4           at quid non tabulas alloquor ipse meas,  
5       cur non ipse meis ludens alludo tabellis ?  
6           Alloquar, alludam, ne sibi displiceam.  
7       Hae sunt, quae nostros solantur saepe labores,  
8           hae mihi curarum grande refrigerium,  
9       his secretorum causas committo meorum,  
10          ex his soliloquus expeto consilium.  
11       Ingenii venam curis nimiis hebetatam  
12          hae velut exacuunt et mihi restituunt.  
13       Ad vos ergo meam serus licet applico musam,  
14          vos dominae bellae, noster amor, tabulae.  
15       Parcite, quod sero de vobis scribere tempto,  
16          quod velut oblitus vos male postposui.  
17       En opus ad vestrum modulamina nostra coapto,  
18          instrumenta paro sollicitatus ego.  
19       In primis ergo, tabulae, vos ipse saluto  
20          Atque salutando vos mihi gratifico ;  
21       vos mihi gratifico quia vobis gratificabor,  
22          si de me vobis justitiam facitis.  
23       Si quid servierit vobis mea sollicitudo,  
24          ut mihi parcatis, vestra jubet bonitas.  
25       Judicium subeo ; detur sententia vestra :  
26          si tacui nimium, sedulus ecce loquar.  
27       En vires vestras, quas antiquata vetustas  
28          debilitat, studio consolidabo meo.  
29       Nescio quis vel quid juncturam corrigiarum  
30          discidit ; at spero quod senium nocuit.  
31       Huic vestro morbo nostra pietate medebor,  
32          nostro restituam munere corrigiam.  
33       Cera quidem vetus est, palearum fusca favilla,

34 et turpat vestram cera vetus speciem.  
35 Idcirco minor est scribenti gratia vestra,  
36 cum velut offensum rejicitis graphium.  
37 Ergo pro nigra viridantem preparo ceram,  
38 quo placeat scribae gratia vestra magis  
39 vos dominae bellae, vos gloria nostra, tabellae,  
40 munera pro magno suscipitote mea ;  
41 Haec mea si vobis munuscula pluris agatis,  
42 dilatare manum non dubitabo meam.  
43 Ergo sit egregium, quod firmiter ecce paciscor,  
44 et vobis tandem praecipuum facite.  
45 Sit mihi vita comes, numquam vos rustica tanget  
46 aut veterana nimis aut scabiosa manus.  
47 Non stilus obtusus sulcabit jugera vestra  
48 nec vos ejusdem pagina rodet edax.  
49 Sacculus aptetur, quem fecerit una dearum  
50 non Helene dispar aut etiam Veneri.  
51 Hic vos exterior casu tueatur ab omni  
52 vosque quiescatis interius positae.  
53 Me socium vobis specialiter esse velitis,  
54 ut colletemur laetitia parili.  
55 Mors mea, nil aliud, a nobis dimoveat nos  
56 vosque benigna manus collocet in tumulo ;  
57 de non sensato si tunc quid sensile curet,  
58 et mea tunc curet de tabulis anima.  
59 Interea tangant vos infortunia nulla  
60 nec nos a nobis livor edax dirimat.  
61 Nos etiam a nobis avellat nullus amicus  
62 nec latro neque fur nec violenta manus.

v.1 Ex me versiculos hucusque, Geraudule, nullos  
2 ad te direxi, nam mihi non licuit.  
3 Ecce reversus ego te per mea scripta saluto,  
4 et precor ut vivas, et precor ut valeas.  
5 Vive, Geraude, mihi, quaeso, mihi vive, Geraude ;  
6 ipse tibi vivam ; vive, Geraude, mihi.  
7 Si mihi rescribes et me sic sollicitabis,  
8 quandoque rescribam sollicitatus ego.  
9 Quandoque praepes equus calcaribus exagitatur  
10 et navis tonsis exagitata ruit.  
11 Respondebo tibi si versibus exagitabis ;  
12 versus sunt vitae portio magna meae.  
13 Ille mihi puer est, puero jucundior omni,  
14 qui proprium tabulis applicat ingenium.  
15 Si cupis ergo mihi, cupiasque, Geraude, placere,  
16 libros et tabulas sedulus insequare.  
17 Volve, revolve libros, quae nescis quaere, require,  
18 fac aliquid dignum quod recites sociis.  
19 Ingere cum quadam te nobis improbitate,  
20 sic paries famam forsitan ipse tibi.  
21 Si penitus nobis libri tabulaeque deessent,  
22 vix esset nobis nomen adhuc aliquod.

23 Tollantur tabulae momenti vix alicujus,  
24 inter grandiloquos mutus asellus ero.  
25 Tu quoque si caeni vis a paedore levare,  
26 impiger ipse tibi tempus emas studii.  
27 Si mihi surdus eris neque vis audire monentem,  
28 ha, cecini nostrum carmen in aure bovis,  
29 contra me demens aures induruit aspis,  
30 fertile conmisi semen agro sterili.  
31 Desidiam ergo fuge, si vis mihi proximus esse,  
32 nec facias vili carmina missa tibi.

198 DE TEMPESTATE

v.1 Tempestas oritur ; obducunt aethera nubes ;  
2 aer densatus intonuit modicum.  
3 Ad sua formice pernices castra recurrunt.  
4 Obliquis caelum tramitibus radiat.  
5 Nec tamen hac satis est pro tempestate timendum ;  
6 clara dies aderit post modicam pluviam.  
7 Quid mihi significet tempestas signaque, novi :  
8 Juppiter et Juno nunc ineunt thalamos.  
9 Hanc tempestatem si gens pavefacta refellit,  
10 hanc ego complector, haec mihi sit propria ;  
11 haec mihi tempestas haud est gravis, haud odiosa,  
12 haec mihi portendit difficiles aditus.  
13 Ergo secunda veni, tempestas accelerata ;  
14 jam tempestivos non renuam monitus.  
15 Te veniente quidem discam secreta deorum  
16 et mihi quid sit opus te redeunte legam.  
17 Nam post secessus nubis reditusque coruscus  
18 te quoque tranquilla spero quiete frui.

199 DE ROSEO FLORE

v.1 Flos mittit florem, roseum rosa spirat odorem.

200 AD DOMINAM CONSTANTIAM

v.1 Perlege, perlectam caute complectere cartam,  
2 ne noceat famae lingua maligna meae ;  
3 perlege sola meos versus indagine cauta,  
4 perlege : quicquid id est, scripsit amica manus ;  
5 scripsit amica manus et idem dictavit amicus,  
6 idem qui scripsit carmina composuit.  
7 Quod sonat iste brevis, amor est et carmen amoris  
8 inque brevis tactu nulla venena latent ;  
9 sanguine Gorgoneo non est lita pagina nostra  
10 nec Medea meum subcomitatur opus.  
11 Non timeas Hydram, noli dubitare Chimaeram,  
12 dum tanget nudum nuda manus folium.

13 Ipsa potes nostram secura revolvere chartam  
14 inque tuo gremio ponere tuta potes.  
15 O utinam nosses sicut mea viscera norunt  
16 quanti sis mecum, quam mihi te facio.  
17 Pluris es et melior, major mihi denique vivis  
18 quam dea, quam Virgo quamve sit ullus amor.  
19 Pluris es ipsa mihi Paridi quam filia Ledae  
20 quamque Venus Marti, quam dea Juno Jovi.  
21 Nec tanti Danae neque tanti constitit Io,  
22 pro quibus aurum et bos Jupiter ipse fuit.  
23 Vates ad Stygias querulus cum tenderet undas  
24 non habuit pluris Orpheus Eurydicen.  
25 Hoc autem populis commendat fabula Graeca,  
26 nam nebula quadam res adoperta venit.  
27 Sed me verus amor, nugis nebulisque remotis,  
28 esse tui nusquam desinit immemorem.  
29 Immemor esse tui numquam, Constantia, possum,  
30 quem tua forma tui non sinit immemorem ;  
31 immemor esse mei citius, Constantia, possem  
32 quam compellar ego non memor esse tui  
33 immemor esse mei numquam, Constantia, possis,  
34 ut mihi persolvas foedus amoris idem.  
35 Sic nos o utinam natura deusque ligasset  
36 ut neuter vivat inmemor alterius !  
37 Crede mihi credasque volo credantque legentes :  
38 in te me nunquam foedus adegit amor.  
39 In te concivem volo vivere virginitatem,  
40 in te confringi nolo pudicitiam.  
41 Tu virgo, vir ego, juvenis sum, junior es tu ;  
42 juro per omne quod est : nolo vir esse tibi ;  
43 nolo vir esse tibi neque tu sis femina nobis,  
44 os et cor nostram firmet amicitiam,  
45 pectora jungantur, sed corpora semoveantur,  
46 sit pudor in facto, sit jocus in calamo.  
47 Crede mihi credasque volo credantque legentes :  
48 in te me numquam foedus adegit amor.  
49 Nec lascivus amor nec amor petulantis amoris  
50 pro te subvertit corque jecurque meum,  
51 in te sed nostrum movit tua littera sensum  
52 et penitus junxit me tua musa tibi.  
53 Denique tanta tuae vivit facundia linguae  
54 ut possis credi sisque Sibylla mihi.  
55 Non rutilat Veneris tam clara binomia stella  
56 quam rutilant ambo lumina clara tibi.  
57 Crinibus inspectis, fulvum minus arbitror aurum ;  
58 colla nitent plusquam lilia nixve recens,  
59 dentes plus ebore, Pario plus marmore candent,  
60 spirat et in labiis gratia viva tuis ;  
61 labra tument modicum, calor et color igneus illis,  
62 quae tamen ambo decens temperies foveat ;  
63 jure rosis malas praeponi dico tenellas,  
64 quas rubor et candor vestit et omne decus.  
65 Corporis ut breviter complectar composituram,  
66 est corpus talem quod deceat faciem.  
67 Ipsa Jovem summum posses deducere caelo,  
68 de Jove si verax fabula Graeca foret ;

69 in quascumque velis se formas effigiasset :  
70 sic sua te saeculis tempora praestiterint.  
71 Sed, quicquid facias, quemcumque avertere possis,  
72 non pro te partes distrahor in varias,  
73 nec caro titillat pro te neque viscera nostra,  
74 attamen absque dolo te vehementer amo.  
75 Te vehementer amo, te totam totus amabo,  
76 te solam nostris implico visceribus.  
77 Ergo patet liquido quoniam genus istud amoris  
78 non commune aliquid, sed speciale sapit.  
79 Est specialis amor, quem nec caro subcomitatur,  
80 nec desiderium sauciat illicitum.  
81 Ipse tuae semper sum virginitatis amator,  
82 ipse tuae carnis diligo munditiam.  
83 Nolo, vel ad modicum, pro me tua mens violetur :  
84 irrita spes esset, irrita suspicio.  
85 Propter id ergo tuam depinxi carmine formam,  
86 ut morum formam extima forma notet :  
87 mores florigeros praetendat florida virgo,  
88 et plus quam exterius floreat interius.  
89 Inseritur metro gentilis pagina nostro,  
90 ut te de falsis gentibus amoveam,  
91 ut tibi gentilis sit gens et pagina vilis,  
92 quae colit impuros semimaresque deos,  
93 qui meretricales potius coluere tabernas  
94 rebus honestatis quam dederint operam.  
95 Et tamen, est verum quoniam tua forma venusta  
96 sidera transcendit, cum sit imago Dei.  
97 Jupiter instat adhuc et tecum ludere temptat,  
98 Mars quoque, si Marti faveris atque Jovi :  
99 sunt multi juvenes Jovis impia facta sequentes,  
100 quos non inmerito dicimus esse Joves ;  
101 sunt multi Martes, scelerum vestigia prisca :  
102 hi nimis infestant regna pudicitiae.  
103 Hi faciunt Veneres, Junones, Danen et Io,  
104 Astraeae vero vix latet una comes.  
105 Ut sunt in veterum libris exempla malorum,  
106 sic bona quae facias sunt in eis posita :  
107 laudatur propria pro virginitate Diana,  
108 portentis victor, Perseus, exprimitur,  
109 Alcidis virtus per multos panditur actus :  
110 omnia, si nosti, talia mystica sunt.  
111 Ergo, sepositis lenonibus et maculosis,  
112 alterius partis aggrediamur iter,  
113 virtutum gradiamur iter, gradiamur ad astra :  
114 gentiles etiam sic properare monent.  
115 Si mea vivere vis, vives mea, vive Diana ;  
116 Alcidem volo vel Bellorophonta sequi.  
117 Quod si de libris nostris exempla requiris,  
118 ipsa tot invenies quot videas apices.  
119 In nostris, non unus apex, non linea libris  
120 quae nos non doceat alta sitire, vacat.  
121 Sed volui graecas ideo praetendere nugas  
122 ut quaevis mundi littera nos doceat,  
123 ut totus mundus velut unica lingua loquatur  
124 et nos erudiat omnis et omnis homo.



125 Captivas ideo gentiles adveho nugas,  
126 laetor captivis victor ego spoliis ;  
127 dives captivos habeat Praegnaria servos,  
128 laetetur Graeis Cambio mancipiis.  
129 Burgulii victae nunc captivantur Athenae,  
130 barbara nunc servit Graecia Burgulio.  
131 Hostili praeda ditetur lingua latina,  
132 graecus et Hebraeus serviat edomitus.  
133 In nullis nobis desit doctrina legendi,  
134 lectio sit nobis et liber omne quod est.  
135 Hanc igitur summam pertemptat epistola nostra  
136 ut virgo vivas, virgo Deo placita.  
137 Sponsa mei domini sis tanti conjugis aula,  
138 sis conjunx tanti conjugis et thalamus.  
139 Subruat hunc dominus qui templum subruit ejus,  
140 qui lapides vivos ipse lapis perimit.  
141 Nos autem nobis vigor uniat integritatis,  
142 sint casti accessus castaque colloquia.  
143 Quod si nos aliquis dixisse jocosa remordet,  
144 non sum durus homo, quicquid ago jocus est.  
145 Laeta mihi vitam fecit natura jocosam  
146 et mores hilares vena benigna dedit.  
147 Sed, quicquid dicam, teneant mea facta pudorem,  
148 cor mundum vigeat mensque pudica mihi.  
149 Tristes obscaenos alit haec provincia multos  
150 et castos hilares educat haec eadem :  
151 novimus et multos qui Bacchanalia vivunt,  
152 quos Curios simulat triste supercilium.  
153 Nec despero jocos quin aetas auferat istos,  
154 fructus maturos tempora sera dabunt.  
155 Fronte severus tunc, tantummodo seria scribam,  
156 ut mihi tunc pectus consonet et calamus.  
157 Interea, mea virgo, meis sis credula scriptis,  
158 et, sicut scripsi, sic mea vive, vale,  
159 inquam, vive, vale, fac quod volo, vive quod opto,  
160 quod volo non nescis, omne quod opto sapis.  
161 Nulla mei cordis potuit te vena latere ;  
162 omne tibi scripsi quod volo, quod volui.  
163 Amodo, majori studio mea musa vacabit :  
164 inceptum Moysen jam repetunt socii,  
165 scilicet insultant Genesim quia dimidiavi  
166 defessusque via substiterim media ;  
167 improperant nugas quas scriptito sedulus ad te -  
168 nullam praeter te carmina nostra sciunt.  
169 Si tamen ipsa mihi quicquam rescribere temptas,  
170 attendam quicquid miseris ut videam  
171 nec studii nostri post intervalla silebo  
172 quin tibi rescribam saltem aliquando "vale".  
173 Dum tibi dico "vale", "vale" hoc intellige : "Salve " ;  
174 ultima vox ad te non erit ista : "Vale".  
175 Quamvis hoc verbum soleant praestare sepultis,  
176 nos tamen hoc vivis et damus et dabimus.  
177 Si vis, ostendas si vis, haec scripta recondas,  
178 nam paedagoga bonae non timor est dominae.

v.1 Perlegi vestram studiosa indagine chartam  
2 et tetigi nuda carmina vestra manu.  
3 Explicui gaudens bis terque quaterque volumen  
4 nec poteram refici singula discutiens.  
5 Ille liber mihi gratus erat, gratissima dicta ;  
6 ergo, consumpsi saepe legendo diem.  
7 Nox studiis odiosa meis, invisita legenti,  
8 me cessare meo compulit a studio.  
9 Composui gremio posuique sub ubere laevo  
10 schedam, quod cordi junctius esse ferunt.  
11 Si possem cordi mandare volumina vestra,  
12 cordi mandarem singula, non gremio.  
13 Tandem fessa dedi nocturno membra sopori,  
14 sed nescit noctem sollicitatus amor.  
15 Quid non sperabam ? Quid non sperare licebat ?  
16 Spem liber ediderat, otia nox dederat.  
17 In somnis insomnis eram, quia pagina vestra  
18 scilicet in gremio viscera torruerat.  
19 O mihi si dabitur tantum spectare prophetam !  
20 O mihi si dabitur colloquii morula !  
21 O quantum vates, quam praeditus iste poeta !  
22 O quam divino quaelibet ore canit !  
23 Quis sapor in dictis ! O quae sapientia verbi !  
24 O quam discretus iste vir in calamo !  
25 Et, reor, in factis est vir discretior iste,  
26 omnia prudenter et facit et loquitur.  
27 Hunc si Roma sibi quondam meruisset alumnum  
28 iste Cato rigidus, Tullius iste foret :  
29 hunc facerent verba Ciceronem, facta Catonem,  
30 multos iste valet solus Aristoteles.  
31 Iste videtur et est et dicitur alter Homerus ;  
32 o quanta versus commoditate canit !  
33 Historias Graecas et earum mystica novit  
34 atque quid haec aut haec fabula significet ;  
35 utque mihi credas, metro mandavit idipsum,  
36 adsensus fecit copia multiplices.  
37 Evaginato David mucrone Goliae,  
38 ejusdem victor perculit ense caput.  
39 Taliter hic vates adiens penetralia Graeca  
40 gentilesque domos despoliavit eas ;  
41 decipulas ensesque suos detorsit in hostes,  
42 advectans nobis carmine gentis opes,  
43 invexit nugas nobis gasasque Pelasgas,  
44 ex locuplete penu diripiens spolia.  
45 Quid Mars, quid Juno, quid cetera turba deorum  
46 significant, novit, novit et exposuit.  
47 Si de divinis insurgat quaestio dictis,  
48 nectareo nodos explicat eloquio.  
49 Immo, quid est, quaeso, quod sensum effugerit ejus  
50 omnia sollerti circuit ingenio.  
51 Si sermo fiat de formae compositura,  
52 impar est tantae nostra camena rei :  
53 inter mortales, tamquam flos unicus, ille

54           formosis aliis corpore et ore praeest.  
55       Inter caelicolas, ut conspectissima stella,  
56           gratior aurora est soleque lucidior.  
57       O qualis, quantus mihi carmine significatur !  
58           Versibus hunc video, namque aliter nequeo.  
59       Vae mihi, cum nequeam quem diligo saepe videre ;  
60           me miseram, nequeo cernere quod cupio.  
61       Afficior desiderio precibusque diurnis,  
62           incassum fundo vota precesque deo.  
63       Annus abit, ex quo quem quaero videre nequivi,  
64           attamen ipsius carmina saepe lego :  
65       o quales versus, quam dulces, quam speciosos,  
66           ad me misit heri perditus ille mihi !  
67       Hoc jacet in gremio dilecti schedula nostri,  
68           ecce locata meis subjacet uberibus.  
69       O utinam noster nunc hic dilectus adesset,  
70           qui sensum proprii carminis exprimeret -  
71       at circumstarent comites mihi vel duo, vel tres,  
72           quamvis ipse suae sufficiat fidei ;  
73       ne tamen ulla foret de suspicione querela,  
74           saltem nobiscum sit mea fida soror.  
75       Clara dies esset nec solos nos statuisset  
76           hoc fortuna loco, sed magis in trivio.  
77       Ecce vigil vigilo, quia me liber evigilavit,  
78           lectus multotiens, quem mihi misit heri.  
79       Sed quid ago ? Nihil est quod tota nocte voluto,  
80           nil est quod rogito pectore sollicito :  
81       ad me non veniet nec eum sitibunda videbo,  
82           quem nimium tellus Pictava sollicitat.  
83       Forsitan idcirco miseram me carmina misit  
84           quae me corrigerent, quae mihi verba darent,  
85       ut se dissimulet, ut me sua littera fallat,  
86           leniat ut nostrum callida charta metum.  
87       Heu, quid non timeam ? Numquam segura quiescam ;  
88           nec mihi tutus amor, nec mihi tuta fides.  
89       Dum nova dat praecepta mihi, plus ipsa fatigor,  
90           numquam non possum suspiciosa fore ;  
91       hunc timeo rapiat, dum nescio, quilibet error ;  
92           omnis virgo meis invidet auspiciis.  
93       Nulla quidem virgo me fortunatior esset,  
94           si mihi tutus amor tutaque pacta forent.  
95       Firma fides nostrum quamvis mihi firmet amicum,  
96           credere non possum tuta suae fidei ;  
97       nec fidei discredito suae (nihil inde timendum),  
98           perdere sed timeo quod vehementer amo.  
99       Pectore fluctivago deduxi tempora noctis,  
100           ergo satis licuit multa referre mihi.  
101       En aurora suos producit lucida currus,  
102           arbuta jam volucrum garrulitate sonant.  
103       Aggrediar ceram, quia nescit cera pudorem,  
104           quae referat domino congrua verba meo :  
105       multa quidem scribam quae nolim dicere praesens :  
106           virgineos ausus saepe pudor reprimit.  
107       O utinam placeant quae mens dictabit amantis !  
108           Carminis oda mei gratificetur ei !  
109       Ipse jubes, dilecte meus, tu praecipis, inquam,

110 ut castis operam legibus attribuam.  
111 Attribuam, sic ipse jubes, sic ipsa praeopto,  
112 sic hucusque dies disposui proprios.  
113 Casta fui, sum casta modo, volo vivere casta ;  
114 o utinam possim vivere sponsa Dei !  
115 Non ob id ipsa tamen vestrum detestor amorem :  
116 servos sponsa Dei debet amare sui.  
117 Tu sponsi servus, tu frater tuque coheres,  
118 tu quoque, tu sponsi dignus amore mei.  
119 Sponsa sui sponsi venerari debet amicos :  
120 ergo te veneror, te vigilanter amo.  
121 Jus et lex nostrum semper tueatur amorem,  
122 commendet nostros vita pudica jocos.  
123 Ergo, columbinam teneamus simplicitatem  
124 nec mihi praetendas quamlibet ulterius.  
125 Quod si praeponis, quod si praetenderis ullam,  
126 scito quod non est hic jocus in domino.  
127 Si fallis, malus es ; si verum dicis, iniquus ;  
128 obsidet atque tenet crimen utrumque jocos.  
129 Damnat falsiloquos Deus et prave facientes ;  
130 aut hoc aut illud vel simul ambo facis.  
131 Sed Deus emendet, Deus in te corrigat ista,  
132 haec me cura tui non sinit immemorem.  
133 Virginis alterius sic nomen abominor ut sim  
134 virginis ad nomen frigidior glacie.  
135 Sed, sicut tibi vis credam credamque volenti,  
136 credam dictanti, tu quoque, crede mihi.  
137 Si te Roma vocat, si te Magontia temptat,  
138 si meus es, retrahas mox ab utraque pedem.  
139 Vade viam tutam, petat alter barbara regna  
140 est gravis indomitas poena domare feras  
141 atque tibi digne vix respondere valebunt,  
142 cum sint indoctae protinus edomitae.  
143 Si, mihi discredens, incassum forte laboras  
144 subripiatque alter jugera vix domita  
145 (pullos indomitos aliis multi domuerunt ;  
146 sic fortasse labor vester inanis erit),  
147 affectus nimio tandem tunc ipse pudore,  
148 ad veteres sero regrediare vias ;  
149 ridebunt alii, sed ego, fidissima semper,  
150 planctibus et lacrimis participabo tuis.  
151 Ergo dico tibi : me praetermittere noli,  
152 nullam majoris invenies fidei.  
153 Si potes, et poteris, si tantum velle videris,  
154 fac ut te videam meque videre veni.  
155 Ad te, si possem, pedes aut eques ultro venirem,  
156 non essent oneri poena pudorque mihi.  
157 Venero si potero, venissem si potuissem,  
158 sed disturbat iter saeva noverca meum.  
159 At tu qui, dominus, nullo custode teneris,  
160 quem, quia multa potes, ipsa noverca timet,  
161 maturato gradus et me visurus adesto ;  
162 sumptus et comites sufficienter habes.  
163 Cur ad nos venias occasio multa paratur :  
164 "Ad quem sermo mihi praesul in urbe manet,  
165 clerus me mandat, abbates, ille vel ille,

166 me trahit ad comitem res facienda mihi."  
167 Demens, quem doceo ? Me debes ipse docere.  
168 Si tibi causa deest, negligis ut venias.  
169 Cura tibi de me non est nisi veneris ad me,  
170 nec tua vel modicus viscera tangit amor.  
171 Hoc argumentum posui mihi si pigritaris,  
172 hoc habeam certum foederis indicium :  
173 visere me debes, nescis quo languero morbo,  
174 quo desiderio scilicet afficior.  
175 Grande tibi crimen nisi paveris esurientem,  
176 oranti si non ipse satisfacias.  
177 Exspectate, veni nolique diu remorari.  
178 Saepe vocavi te, saepe vocate veni.

v.1 Si quaeras Lisois quo tempore colligat uvam,  
2 scito quod Lisois nec habet nec colligit uvam.  
3 Si quaeras quare : quia non est Bacchica tellus  
4 nec vites novit nec humus sarmenta refundit.  
5 Si vero quaeras quo gaudeat incola potu,  
6 potu plus gaudet, quem cocta propinat avena.  
7 Andegavensis ego noram satis Andegavenses  
8 et Camotenses, Turonos et Pictavienses.  
9 Aurelianenses, Britones et Lemovicenses ;  
10 Sanctonus et Biturix, Arvernus, Parisiensis  
11 vir mihi notus erat, notus quoque Burdegalensis.  
12 Hanc ego non noram nisi solo nomine terram,  
13 ad me Willelmum donec provincia misit.  
14 Ipse situm terrae, quaedam quoque rettulit ipse  
15 quae secreta volo, quaedam patefacta retracto.  
16 Ipse mihi dixit, Lisois quia nescia vini  
17 coctas potat aquas et aquis inmiscet avenas ;  
18 fecundat calices fecundum tempus avenae  
19 et pateras fissas sterilis desiccet avena.  
20 Ergo liquet : culmus non bajula palmitis hujus  
21 pocula Normannis producat in omnibus annis.  
22 Haec ait atque mihi concessa pace recessit  
23 et discedenti dico : "Willelme, quotannis  
24 ad nos huc redeas, quae nobis vina redundant,  
25 liba nobiscum ; si quae meliora supersunt,  
26 largiar ipsa tibi ; mihi te largire roganti.  
27 In verbis est nempe tuis mihi magna voluptas".  
28 His dictis agimus quod agendum censuit hora.  
29 Ad se Willelmus secessit et ipse remansi.  
30 Ex quo Willelmus non venit, praeterit annus,  
31 aut fortasse mihi mensis magis annus habetur ;  
32 nil etenim properum satis est animo cupienti.  
33 Nunc quoque de reditu mando sibi, ne pigritetur.

v.1 Saepe mihi quodcumque putas jucundius, offers,  
 2 offers nec reddis, cum tamen id repetam.  
 3 Hac conjectura compellor dicere mecum :  
 4 promissor noster fallit, at alter erit.

v.1 Hanc, Baldrice, tibi mittit tuus Odo salutem,  
 2 a te rescribi quam cupit ipse sibi.  
 3 Nuper, amice, tuum tenui legique libellum ;  
 4 credere vix potui temporis hujus opus.  
 5 Tantum pondus erat verbis, facundia tanta,  
 6 posset ut haec credi composuisse Maro.  
 7 Inter amicorum scribi me nomina sperans  
 8 devolvi librum terque quaterque tuum.  
 9 Vel levis ulla mei non est ibi mentio facta ;  
 10 commovit mentem res nimis ista meam.  
 11 Scilicet indignum me, vir facunde, putasti,  
 12 carmine quem velles perpetuare tuo.  
 13 Attamen Urna, Lepus, Corvus quoque, Cancer, Aselli,  
 14 in caelo stellae te quoque teste nitent  
 15 et post tantorum tot nomina clara virorum  
 16 viles bestiolae caelica regna tenent.  
 17 Me quoque multorum post nomina clara virorum  
 18 fac tua caelestis pagina suscipiat ;  
 19 haereat in libri, rogo, margine distichon unum,  
 20 inscriptus valeat quo tuus Odo legi.  
 21 Si meritis precibusque meis quaesita negabis,  
 22 extorquebo tamen improbitate mea.  
 23 Haec mea saepe tibi trivialia carmina mittam ;  
 24 sic indignanti, quod precor, excutiam.

v.1 Pulchras misissem tabulas tibi si voluissem ;  
 2 mittere quas nolo, comminus ipse dabo.  
 3 Praesens praesenti dabo quicquid notificabis,  
 4 tunc dabimus tabulas forsitan et reliqua.

v.1 .... si vultis, veniam ; sin autem, quaeso, venite,  
 2 ambos ut videam quos amo corde tenus.  
 3 O utinam vestrum medius quandoque quiescam,  
 4 ut nos laetificent mutua colloquia.  
 5 Interea, maneatis idem, vos uniat ambos  
 6 qui diversa duo jungit et unit amor.

v.1 Odonem salvere meum sine fine praeopto :

2 Odo mi, salve, papa futurus, ave !  
 3 Quod te dico meum praesumptio dicere cogit,  
 4 tantum tantillus pontificem monachus.  
 5 Quem numquam vidi, quem solis auribus hausi,  
 6 dicere prae nimio cogor amore meum.  
 7 Visceribus totum te nostris insinuavi,  
 8 te siquidem novi carmina diligere ;  
 9 et laudas vates, et praemia vatibus offers.  
 10 Jucundus, prudens, felle columba carens ;  
 11 compatiens miseris, peregrinis auxiliator,  
 12 morum prae cunctis asperitate cares ;  
 13 maximus orator, vatium specialis amator,  
 14 invitas nostros ad studium calamos.  
 15 Talem te cupio, mihi te desidero talem ;  
 16 qualis es et qualem te volo promerear.  
 17 Quaeso, mihi debe quod debet amicus amico,  
 18 quos indiscissus consolidavit amor,  
 19 inter quos umquam non est alterna voluntas,  
 20 qui sapiunt, vivunt et moriuntur idem.  
 21 Ecce tibi talem me, si dignare, paciscor ;  
 22 o utinam votis faveris, Odo, meis !  
 23 Si mihi te dederis, si te dignabere nostrum,  
 24 inter cantores Orpheus alter ero.  
 25 Jam quoque de vestro nimium confisus amore,  
 26 audeo pro caris insinuare meis.  
 27 Burcardum commendo meum, quem diligo multum,  
 28 tutelaque tuae consilioque tuo.  
 29 Urit Guidonis penuria multa penates,  
 30 Odo, roriferas cui plue divitias

207

v.1 Si vis ut sine me te littera nostra salutet,  
 2 nostra salutatur te littera, sed sine me, sed tamen  
 3 mentis ego sane Redonensi dicere per me  
 4 et Cenomannensi dicere nolo vale, sed tamen  
 5 saltitat in silva Redonensi devia cerva  
 6 et Cenomannensi deviat in trivio, sed tamen  
 7 saucia dammula, devia bucula, lubrica virgo,  
 8 discreti catuli nolo sequantur eam, sed tamen  
 9 demens quae passim cervos discurrens ad omnes.  
 10 Quam male decepit te peregrinus odor, sed tamen  
 11 hi curant alias ; tu nunc in saltibus erras.  
 12 Qui te rejiciunt, improba, tu sequeris, sed tamen  
 13 heu vaga bestia, perdita femina, jugiter erras ;  
 14 si potes, ad mentem, caeca, redi veterem, sed tamen  
 15 a me discedas, trivialis hebesque juvenca ;  
 16 aufuge, quam turbo quilibet exagitat. Sed tamen  
 17 ebria Glycerium, tibi Pamphilus omnis hiator ;  
 18 qui tibi cumque placet, mox tibi Pamphilus est, sed tamen  
 19 nec tibi sufficiunt Cenomanni vel Redonenses  
 20 nec tibi mille unum sufficerent juvenum, sed tamen  
 21 vel prece vel pretio vel vi conducis amantes  
 22 integra corpore, sed vaga pectore, sed tamen  
 23 quam placet integritas, virgo, tua Burguliano ;  
 24 pectus ei tantum displicet esse vagum. Sed tamen

25 ergo de reliquo placeas ut Burguliano,  
26 conserva corpus, firma pectus. Sed tamen...

208 AD IPSUM QUI EUM INUITAUERAT

v.1 Ad mensam precibus me summus cogit amicus,  
2 quem merito summum credo, volo, fateor.  
3 Votis quippe meis sic totus inesse laborat  
4 ut plus sit nobis quam sibi sollicitus.  
5 Solemnes epulas spondet celebremque culinam  
6 et quod laetificet tristia corda merum.  
7 Ecce saginatis frigit sub carnibus ignis  
8 atque veru datis fumigat altilibus ;  
9 nec deerit pinguis generis cujusque ferina  
10 et pisces varios attribuet Ligeris.  
11 Omnimoda jam nunc exsultant carne lebetes,  
12 assunt fartores multimodis avibus.  
13 Allia serpillumque et olentes contudit herbas  
14 et piper instructus ista parare coquus ;  
15 Haec contusa simul gelido confundet aceto,  
16 quae fastiditae sunt monumenta gulae.  
17 Exhilarabit nos in ludis fabula pernox  
18 et faciet gratam grata domus requiem.  
19 Nam domus a strepitu solisque calore remota  
20 nullis offensis obviat hospitibus.  
21 Ipsa dies nox est, si mavis, noxve dies est,  
22 sic domus ad votum tempus utrumque facit.  
23 Convivae tot erunt veterum quot praecipit usus,  
24 ut non musarum transilient numerum ;  
25 namque novem numerus si forte supergrediatur,  
26 ut coeant plures id cohibent veteres.  
27 In turba siquidem convivia sunt inhonesta,  
28 quae nimis indomita garrulitate tument.  
29 Non tamen indociles convivae convocat hospes,  
30 sed quos ediderit philosophia suos,  
31 quos sibimet Socrates optaverit esse coevos,  
32 quos Cato concives, quos Cicero socios,  
33 quos pariter tota morum probitate refertos  
34 tamquam mater alit atque regit ratio.  
35 Sermo qui deceat tales et prandia tanta  
36 interfundetur, non rationis inops.  
37 Percutiet lyricum psaltes David decachordum,  
38 seu Moyses veteres advehet orbis opes.  
39 Explanabuntur, si quas vis nosse figuras ;  
40 has tibi, non alias, spondeo delicias.  
41 Haec sunt serpillum, piper, allia, lac, mel, acetum ;  
42 pro vario captu pagina lecta sapit.  
43 His onerabuntur mensae sapientis amici :  
44 nos invitat ad has, his cupio refici.  
45 Invenies varios libros relegendo sapes  
46 qui superent illud manna saporiferum.  
47 Carnes elixas seu carnes ignibus assas  
48 martyribus sanctis dicimus assimilales.  
49 His opibus noster ditatur strenuus hospes ;



50           fercula complicibus porriget ista suis.  
51   Hospitis accedet laetus super omnia vultus,  
52           quae res est pluris omnibus hospitibus,  
53   jucundamque diem jucundius excipiet cras ;  
54           nam curas tristes laeta quies adimet.  
55   Hujus ad hospitium sic hospitis est satagendum,  
56           hospes ut ipse suis gaudeat hospitibus.  
57   Hi non rejicient censuram sobrietatis ;  
58           inter eos siquidem vivitur absque nimis  
59   justitiae metas sapiens excedere vitat ;  
60           extra jus et fas autumat ire nefas.  
61   Et penes hunc coetum, status aequi, culmen honesti  
62           et quicquid juris dixeris est et erit.  
63   Promptus ad hanc mensam properet quicumque vocatur,  
64           quo praebet mammae philosophia suas.  
65   Hanc invitatus ab amico promptus adibo  
66           postpositis aliis rebus et officiis ;  
67   maturando pedes actus celerabo seniles,  
68           ne quas innectam dissimulando moras.  
69   Nolo tristentur quos debeo laetificare  
70           adventu propero colloquioque meo.

209                   SUPER RAMNULFUM

v.1   Magne pater, Ramnulfe senex, reverende sacerdos,  
2           virtutum thalamus, cella Dei locuples,  
3   postquam vicisti tota probitate malignum,  
4           protinus ad superos carne solutus abis.  
5   Hic tua, magne senex, solemniter ossa quiescunt  
6           et datus est tumulus ossibus iste tuis.  
7   Spiritus ecce tuus gaudens super astra perennat ;  
8           tu, pater, a superis saepe revise tuos.

210                   DE EODEM

v.1   Alter Tobias, Ramnulfus tempore longo  
2           amissis oculis mente Deum coluit.  
3   Pauperibus saties, lassis requies, via lapsis,  
4           presbyter ipse fuit victima grata Dei.  
5   Thuris odor gratus, thuris quoque more crematus  
6           dans animam caelo reddidit ossa solo.  
7   Hic, Ramnulfe, jaces solemni more sepultus ;  
8           at plus solemnis vivis in arce poli.

211

v.1   Perpes lamentum mors contulit Andegavinis,  
2           Martellum juvenem cum tulit a superis.  
3   Tempora reddiderat princeps bonus aurea mundo,  
4           bellis sedatis saecula pacificans.  
5   Dum pacem laesam rursus sanare laborat,  
6           intentum paci saeva sagitta ferit.

7 Hic, Martelle, jaces, Martelli nobilis heres,  
8 res a Marte quibus digna dedit titulum.

212

v.1 Pacis amator eras et eras sic pacis amator,  
2 Hector ut ipse tamen belliger exstiteris.  
3 Ipse reformabas tempus gentemque togatam ;  
4 si modo vixisses, Octavianus eras.  
5 Subjectis parcens et colla superba refrenans  
6 principis egregii culmen adeptus eras.  
7 Saeva sagitta tuos successus anticipavit,  
8 quam clam direxit proditor arcitenens.  
9 Martia Martellum te fecit causa vocari,  
10 Gosfredum vero nominis impositi.

213

v.1 Hic pausat virgo, quae scilicet innuba Christo  
2 nupsit, sponsa Dei, nescia conjugii.  
3 Pectore constanti Constantia nomine fulsit  
4 praeclaro patrum stemmate nobilium.  
5 Ipsius pectus ditavit littera dives,  
6 ut potuit credi, dia Sibylla, tibi.  
7 Ecce sub hoc tumulo cinerascit mortua virgo ;  
8 ejus ad astra volans spiritus alta colat.

214

v.1 Post Lugdunensis, praesul prius Hugo Diensi,  
2 magnus Romanae filius ecclesiae,  
3 quem sibi legatum Romanus papa rogavit,  
4 ad synodum veniens, pro dolor, occubuit.  
5 Virtutum cellam, divini nectaris aulam  
6 hac tumulavit humo Segusiensis homo.  
7 Laetatur justus hospes bonus hospite tanto,  
8 quem Deus eximium misit ei socium.  
9 Lugdunum, luge ; solemnina conciliorum  
10 occubitu patris occubere tibi.

215

v.1 Claris satus natalibus,  
2 Samson nitens virtutibus  
3 vixit sacerdos inclitus  
4 totus supernis deditus.  
5 Demetianus patria,  
6 Anglos polivit gloria ;  
7 citra Britannos extulit,  
8 quos archipraesul sustulit.  
9 Sacris amictus infulis  
10 votisque mactus sedulis  
11 et clarus in miraculis,  
12 sol luxit alter saeculis.  
13 Haec est dies, qua spiritum  
14 ejus catervae caelitum

15 videre jungi civibus  
16 semper Deum cernentibus.  
17 Sit trinitati gloria,  
18 sit perpes excellentia,  
19 laus unitati sedula  
20 per saeculorum saecula. Amen.

216

v.1 Samsoni superis associato  
2 in caelis etiam glorificato  
3 pangamus, socii, cantica grata  
4 ut simus domino templa sacrata  
5 sorde remota.  
6 Samson naufragio carnis in isto  
7 omnino studuit vivere Christo.  
8 Nudo vestis erat, largus egeno  
9 fundebatque Deo pectore pleno  
10 congrua vota.  
11 Ergo signipotens atque modestus  
12 illuxit populis ut vir honestus ;  
13 praesul quippe Deo turificabat,  
14 vel sese potius sacrificabat  
15 cordis in ara.  
16 Gaude, metropolis aula Dolensis,  
17 Samson dux tuus est atque Britannis,  
18 qui nunc in superis jure locatus  
19 ut sol irradiat mirificatus  
20 atria clara.  
21 Laus individuae sit deitati,  
22 laus sit summa patri, laus quoque proli,  
23 laus sit spiritui cuncta replenti,  
24 laus regum domino cuncta regenti  
25 omne per aevum.

217

v.1 Ambiguas voces emisit callida vulpes  
2 scilicet : "Ignoro, nolo, laboro, volo".  
3 Si meus esse velis, puer, hoc expone "subaudis"  
4 et mihi securus simpliciter loquere.  
5 Ore columbino sine cordis felle loquamur ;  
6 nudus amor nudam debet habere fidem.  
7 Accessus nostros testis tueatur honestas ;  
8 uniat abscessus intemerandus amor.  
9 Utendum non est ambagibus inter amicos ;  
10 abscedat quicquid fictile contigerit.  
11 Si quando nobis surrepent verba jocosae,  
12 mores jucundos muniat integritas.  
13 Pura fides et munda manus caelebsque voluntas  
14 pontificum debent associare pedem.  
15 Non vivo, qui tu ; neque sum neque sentio, quod tu ;  
16 vivis Normannus, vivo Britannus ego.

218           VERSUS BALDRICI ARCHIEPISCOPI  
              DE ORGANIS WIGORNENSIS ECCLESIE

v.1           Organa, quae pariter concordi voce resultant,  
2           sunt quaedam nostrae concors modulatio vitae,  
3           quae variis conflata modis excitur in unum  
4           et grato regi concentu concinit uni.  
5           Et sicut varias voces intelligis unam,  
6           sic modus est unus, quo vivimus atque coimus.  
7           Utque labor magnus calamos ex aere coaptat,  
8           sic Deus et mores et corpora nostra coaptet,  
9           ut placeat nostrae symphonia mystica vitae,  
10          quae compacta simul intus spiramine divo  
11          moribus ex inultis morem concurrit in unum  
12          et nexu quodam secreto nexa videtur,  
13          ut pangat dulcem concordi pectore vocem.  
14          Haec a te jussus, magne prior, cecini.

219                            ITEM

v.1           Organa cantica, cymbala, tympana, carmina, sistra,  
2           psalterium, citharae saltusque David spoliati  
3           et rota mystica sunt cultusque Dei speciosus.

220           DE ROTA IN EADEM ECCLESIA PENDENTE  
QUE DUM UOLUBILI GIRO ASSIDUE &UERTITUR LAMPADES ARDENTES  
QUE IN EA PENDENT NEC EXTINGUUNTUR NEC &CORRUUNT NEC OLEUM EFFUNDITUR

v.1           Haec rota vertibilis nostram signare videtur  
2           vitam, quae casus vertitur in varios.  
3           Ergo sub hac hominis vertigine vita locata  
4           splendeat ut lampas nec revoluta ruat.  
5           Id rota designat, id lampas et ipsa figurat.  
6           Non vacat a sensu mysticus iste jocus.

221                            DE CORONA EIUSDEM ECDESIE  
              IN QUA SUNT XII TURRES IN QUIBUS SUNT IMAGINES  
              ET ARTE MECHANICA SE MOUENTES ET QUASI EXILIENTES

v.1           Haec rota Jerusalem caelestis praecinit instar,  
2           quam circumsaeptram muro turris duodenae  
3           munit apostolici coetus custodia sollers,  
4           singulus et custos semper superadditur arci.

222

v.1           Festiva multum gaudia  
2           hujus diei gratia  
3           cunctis infert mortalibus  
4           laudes Deo psallentibus.  
5           Cairenus ecce laurea  
6           totus refulgens aurea  
7           fractus saxorum sanguine

8 redemit orbem grandine,  
9 .... lucida  
10 amictus alba candida  
11 quam sanguis ejus tinxerat  
12 bonis potenter fulgurat.  
13 Nunc, sancte, nobis prospera  
14 largire cunctis tempora.  
15 Te supplicante gaudia  
16 finis lucremur nescia.  
17 Sit gratiarum actio  
18 Deo patri et Filio,  
19 sancto simul paraclito  
20 sit gratiarum actio.

223

v.1 Paganus propriam ..(LACUNE)  
2 et si Paganum promerear proprium,  
3 non tamen in nostris legeris, Pagane, libellis.  
4 Impar est tantae camena nostra (LACUNE)  
5 (LACUNE).. te neque possum mente referre  
6 (LACUNE).... tant ..  
7 (LACUNE)  
8 (LACUNE)  
9 (LACUNE)  
10 (LACUNE)  
11 (LACUNE) ..... referre  
12 (LACUNE) ..... Supplicio dominum  
13 nomen nostra tuum si tollere carmina possunt,  
14 carmina nostra tuum nomen in astra ferent  
15 (LACUNE)  
16 (LACUNE)  
17 (LACUNE)  
18 Tu neutri dispar es decus Andegavis.  
19 Andus Marbodum, Remis laudat Godefredum,  
20 me quoque Burgulius jactitat esse suum ;  
21 tu tamen ambobus necnon mihi praeficiendus,  
22 qui polles metricae commoditatis ope.  
23 In te dulcisoni modulatio substitit Orphei,  
24 in te calliditas vivit Aristotelis ;  
25 non miranda fuit facundia plus Ciceronis  
26 quam tua, si iudex justitiae vacaret.  
27 Denique plura sciens in te dignissima laude,  
28 dum non sufficio dicere, praetereo.  
29 Nunc, rogo, parce mihi, quia corvi more loquacis  
30 de te praesumpsi quid crocitare nimis.  
31 Est mihi res vicina tibi, re carior omni,  
32 quam commendo tuae, dum venio, fidei.  
33 Tu vero, ne laede fidem, ne sperne pudorem  
34 nec fallat mentem res pretiosa tuam.  
35 Ipse tamen, si mille fides, si mille dedissem  
36 sacramenta, simul testibus appositis,  
37 ipse ego mille fides violarem et mille libenter  
38 sacramenta, simul testibus appositis,  
39 pro re tam digna, tam cara, tam pretiosa :  
40 non eris ergo reus, si facias simile.

41 Si fortuna jocis felixque arrideat hora,  
42 rite jocando, fidem frangere quis dubitet ?  
43 Quid sit nescit homo, vel quae sint dona deorum,  
44 temporis indulti qui bona dissimulat.  
45 Ergo, favens votis, faveas successibus ipsis  
46 quos locus et tempus suggeret, immo Deus.  
47 Tu quoque sis titulus, tu littera sis capitalis,  
48 tu castigator codicis esto mei.  
49 Et velut exposui tibi quod mihi carius esset,  
50 sic expone mihi quod tibi carius est.  
51 Inter amicos sunt commercia mutua magni,  
52 quas res communis jungit amicitias.  
53 Jungit amicitias simplex communio rerum :  
54 haec igitur nostras jungat amicitias.

224 DE INCARNATO VERBO

v.1 Ex serie Jesse Verbum caro venit ad esse,  
2 cui primum Jesse dederat verbum Deus esse.

225 DE EODEM

v.1 Flos pater est pueri, flos mater, flos puer ipse,  
2 flos quoque virginei forma puerperii.

226 DE EODEM

v.1 Prima novi partus generat, quae non violatur.  
2 Virginis ipse pater filius et pater est.

227 SUPER VIRGINIS PARTUM

v.1 Natum designat nobis haec picta figura,  
2 qui sine patre caro, qui sine matre Deus.

228 SUPER BEATAM MARIAM

v.1 Res caret exemplo, quam picta figurat imago :  
2 nescit virgo virum, quae genuit puerum.

229 SUPER PASSIONEM DOMINI

v.1 Hostia grata Deo, crucis acceptata tropaeo,  
2 Christus homo patitur, vita Deus moritur.

230 DE EODEM

v.1 Ecce sacerdotum tus summus et ipse sacerdos  
2 in cruce pro miseris hostia fit populis.

231 DE EODEM

v.1 Vita subit mortem, quae vincit mortua mortem :  
2 hujus causa rei mystica forma Dei.

232 DE EODEM

v.1 Quisquis in hac passum testatur imagine Jesum,  
2 intuitu fidei consociatur ei.

233 DE EODEM

v.1 Jus solvit mortis mortem patiens leo fortis ;  
2 nostri signa ducis sunt duo ligna crucis.

234 SUPER CRUCIFIXUM

v.1 Victima paschalis Deus hostia fit specialis,  
2 nam Deus est et erat sic crucifixus homo.

235 SUPER IHESUM ET SUPER PILATUM

v.1 Judicis ipsius judex est judice coram,  
2 ut praejudicium justus patiatur ad horam.

236 SUPER CRUCIFIXUM

v.1 Ecce suum regem sua plebs, verum Salomonem,  
2 in cruce pro nostris criminibus perimit.

237 SUPER SPINIS CORONATUM

v.1 In cruce pacificum spina Judaea coronat.  
2 Crimina quae tolerat, non sua spina sonat.

238 DE SOLE OBTENEBRATO

v.1 Sol veluti plorat, quia sol in morte laborat.

239 DE EODEM

v.1 Cum veluti plorat, sol mortem solis honorat.

240 ITEM

v.1 Sol radios velat, quoniam sol in cruce clamat.

241 DE SOLE ET LUNA

v.1 Sol et luna gemunt, orbi sua lumina demunt.

242 ITEM DE UTROQUE

v.1 Sol et luna gemit, dolor illis lumina demit.

243 DE LUNA

v.1 Luna gemens pallet, quam solis passio terret.

244 IN LECTO ITINERARIO

v.1 Hoc, Deus, in lecto pausanti praesul adesto.

245 DE EODEM

v.1 In te pausemus, bone rex, in te vigilemus,  
2 Nocte dieque tuos conserva, Deus, optime custos ;  
3 qui tecum vigilant, tecum dormire praeoptant.

246 DE CRUCIFIXO

v.1 Filius hic hominis patior, morior, crucifigor ;  
2 filius ipse Dei cum patre vivo Deus.



247

v.1 Hac ex pictura, si de te sit tibi cura,  
2 collige, si vives comedens cum divite dives :  
3 nunc gaudet Lazarus, nunc ardet dives avarus.  
4 En age cum Lazaro, ne compatiaris avaro,  
5 inter opes esto pauper cum paupere Christo.

248

v.1 Quamvis haec species hominemque Deumque figuret,  
2 non tamen est domini, sed species hominis.

249

v.1 Significativas picturae cerne figuras,  
2 significativis ut tu circumdatus armis  
3 significativos expugnes strenuus hostes  
4 et miles Christi superans nequeas superari.

250

v.1 Soliloquus vestram legi, Roberte, camenam  
2 et placuere satis carmina missa mihi ;  
3 perpensi siquidem, quantae sis strenuitatis,  
4 quanti sis studii, littera missa docet.  
5 Laudo tuum calamum, studiosa poemata laudo  
6 ipseque pluris ago, quod mihi dicis ave.  
7 Reddo tibi grates quas debeo, reddo salutes  
8 et precor ut versus versibus adjicias.  
9 Non tibi sit vilis mea pagina, pagina levis ;  
10 in nugis gravitas est odiosa mihi.  
11 Curam doctoris da nostro, quaeso, nepoti,  
12 si tamen hunc aptum videris ad studium ;  
13 si capis indocilem, si turbas urbis amantem,  
14 castiga verbis, argue verberibus.

251

v.1 Quanti me facias, quanti me feceris, ipsa  
2 signant in nostro regalia missa libello,  
3 quae propriis manibus foliis interseruisti  
4 et filum filo subtiliter illaqueasti.

252

v.1 Galo, mi frater quem ditat littera dives,  
2 suscipe simpliciter Burguliensis ave.  
3 Scriptito simpliciter, nec nostram simplicitatem  
4 nec calami nequam despice desidiam.  
5 Ad te, Galo meus, modo destino carmina nostra,  
6 quae tibi delegat irrequietus amor.  
7 Irrequietus amor ad te rescribere cogit,  
8 nam tibi me jungit irrequietus amor.  
9 O utinam te jungat idem mihi foedus amoris,  
10 ut mihi te jungat sollicitatus amor !

11 Tutior iret enim firmo pede nostra camena,  
12 ii munirer ego dignus amore tuo.  
13 Nam me dictandi vel nulla scientia munit,  
14 vel tenuis ; sed me carminis urget amor,  
15 anser raucus ego strepo sedulus inter olores,  
16 inter aves querulas rauca cicada strepo.  
17 Tempto cum nequeo ; conor, sed ad ima relabor ;  
18 quod nescire scio me, magis aggredior.  
19 Idcirco nostram multi sprevere camenam  
20 et mea, jure quidem, rejiciunt studia.  
21 Sed tu, quem nostrum bonitas tua fecit amicum,  
22 indulgeto meis invaletudinibus ;  
23 erratus nostros medicanti corrige dextra,  
24 et tamen, hoc quaeso, compatiare mihi.  
25 Nam plus quam medicum se praestet amicus amicum  
26 ut curet morbos et veluti foveat.  
27 Tu vero, quem non perpauca scientia dotat,  
28 quam scio, quam dico, cautius id facies.  
29 Responde quocumque modo, rescribe roganti ;  
30 hoc studium nostram firmet amicitiam.  
31 Composui quaedam tibi quae transmitto videnda  
32 sermone pedestri atque metri pedibus  
33 plurima composui quae mecum clausa reservo  
34 (LACUNE)  
35 (LACUNE)  
36 (LACUNE)  
37 (LACUNE)  
38 (LACUNE)  
39 (LACUNE)  
40 imperfecta licet perlege scripta mea.

253

v.1 Omnium factor, hominum redemptor,  
2 Virginum sponsus, Deus alme, nobis  
3 Virginis digne celebrare festum  
4 da Catherinae.  
5 Haec parentela sata praenitenti  
6 germen eluxit speciale regum,  
7 incliti regis veneranda proles  
8 unica Costi.  
9 Respuit regnum socianda Christo,  
10 pauperes fovit, sibi parca vixit,  
11 obtulit sponso capitale magnum :  
12 virginitatem.  
13 Affluens verbi sale litterati,  
14 eloquens virgo senibus resistens  
15 convocatorum superavit agmen  
16 philosophorum.  
17 Lacte profluxit jugulata cervix ;  
18 bis decem metas subito dierum  
19 vexit in Sina chorus angelorum  
20 virginis artus.  
21 Laus Deo patri genitaeque proli,  
22 laus, sacrum flamen, tibi sit perennis,  
23 laudis et nostrae comes irremota

24                    sit Catherina.

254

v.1            Significativis op ..(LACUNE)  
2            Cui Moysen novit nemo ..(LACUNE).

255

AD LEGATUM SUUM

v.1            Vade ergo subito, citus ut redeas, citus ito,  
2            i mea trade meo carmina cui jubeo.  
3            I(LACUNE) prudens operarius esto,  
4            esto legatus impiger atque probus.  
5            Hunc (aptis) dictis, quantum potes, allice verbis,  
6            ut melius poteris, me sibi gratifica.  
7            Ipse vices nostras tamen improbitate remota  
8            me sibi commendans callidus anticipa.  
9            Venatus vultum, venatus verba loquentis  
10            intima corda viri scito referre mihi.  
11            Si potes, hunc adduc ; sin autem, carmina mittat,  
12            ut saltem quem non quibo videre legam.

256

IN HORREO

v.1            Horrea nostra, Deus, tua sufficientia ditet,  
2            quae ditavit agros Pharaonis et horrea Joseph.